This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600071385U

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

CIVIS ROMANI

EPISTOLAE SATYRICAE

XX.

ACCEDUNT

CARMEN DE FRANCISCO FERRUCCIO,
ET APOTHEOSIS JOACHIMI ROSSINII.

FOROCORNELII
EX OFFICINA GALEATIANA
A. MDCCCLXXVII.

Sumptibus Auctoris.

24

300. e. 46.

AD IOSEPHUM DE SPUCHES V. PR.

DE DIVITIIS

Optime Fortunae judex in divite censu,
Despuches, quia scis vitare pericula, et undam
Civili fastu famulantûm, more recepto
Quin et adulantûm, jubeo salvere, deinde
Dicere te, quanta est opibus tibi sarcina vati,
Dum levis esse studes, cantuque placere soluto.
Praedia quid valeant longo tibi subdita tractu,
Pinguia quid prosint armenta, et fenus ab auro,
Argentoque, vides provectus in aethera pennis.
Quam brevis est ratio spectabilis inde bonorum,
Et quam sordescunt numeratis scrinia nummis!
  Aut nemo, aut pauci tenuerunt esse viriles,
Et constare sibi juxta sublime volandi
Propositum, mediis a commoditate perîclis.
Graeca modis cum laude sequi, explicitisque referre
Sensibus ad verba Italicae numerosque loquelae,
Arte sacra Phoebi vetus et resonare Latinum
Carmine, id omne tuum est, rara virtute canentis.
Nec tanti tibi sunt ab avitis juribus aedes
Regifico sumptu, atque soli praepinguia culta,
Ingenium ut possis in te sopire poëtae,
Deficere atque dato tibi sic divinitus oestro.
Felix auspiciis a prosperitate secundis
Non rerum, quae circumstant, opulenter et angunt,

Ast animi vi, qui sponte sua contemnat habendi
Fumum et opes, hominum se pauperioribus aequans,
Inde ut sit pernix ad quaelibet alta volatus.
  Spiritus humanus, qui sese possidet ipsum,
Et dominatur eis, quorum invidiosa latrando
Mens est foedifrago comitatu, pauperem haberi
Eligit, ut sociis evadat sospes ab illis,
Ales et a cavea expediat se divitiarum,
Gutture cycnus ovans potius, quam vilis asellus
Cui superimpositum sit onus grave peste metalli.
Quamvis nunc opibus velit inclarescere partis
Splendidus ordo statu, meritisque tenere curules,
Fortunae, nec jam cordis praestantis amore
Musarum, superant elementa fidelia quondam
Naturae sine fraude piae, sine compede stultae
Ambitionis, et invidiae rapientis honores.
  Trinacria exemplum, Despuches, edidit in te,
Quod super Italia si lumen proferat, et sit
Ingenii virtute ferax, melioribus uti
Nos annis sapienter erit, fastisque notare
Libertatem ultro reducem rerumque, hominumque,
Quam prohibere focis visa est truculenter, et aris
Ira tyrannorum, communi nomine juris.

ALOIS. CHRYSOSTOMUS FERRUCCIUS.

AD AULUM POMPEDIUM

DE FASTIDIO DIVITIARUM

Aule, scatere opibus cui dat sors magna bonorum,
Tu tribus a patruis fortunatissimus heres
Esse quod es plerumque doles, farragine mersus
Curarum, vacuis idem invidiosus egenis.
Nemo fidem praestat querulo tibi rebus in amplis,
Sic et abundando contra tua fata loquaci.
Ast ego qui res interius scrutarier opto
(Si bene quid video) ratione valere querelam
Nosco tuam, prudens et ab omni discrepo vulgo.
  Quid sunt divitiae nisi mantica, quae gravis urget
Terga viatoris gradientis ad ardua vitae?
Pauper obire potest iter istud fasce solutus
Laetior ac levior, Fortunam exosus avaram,
Quin etiam risu excipiens, cantare paratus
Ejus in ore, Deo rebus submissus in arctis.
Longum est exilium locupletibus, ut breve possit
Agmine curarum inter iter fortasse videri.
Multiplices curae, tempus vitale vorando,
Oblimant animum; plerumque et dives habetur
Stultus, et est (etiam invitus) sua si bona tantum
Respicit, ac servus fit, vi potioribus illis.
Liber agens curis pauper caret hocce periclo,
Ipse sui dominus, vitiorum immunis et expers;
Vix etenim vitiis vitabilis esca bonorum est.

4

Nosco, scio surdis verum hoc cecinisse poëtas
Tempus in omne: tamen dum te licet, Aule, videre
Pertaesum quasi Fortunae cumulantis in uno
Te tria cum censu patrimonia divite, magnam
Spem capere instituo simul utilitatis in uno
Te minime stulto, simul et rationis in ullis,
Qui *sensum* amittunt, *censum* pro jure tenentes
Conculcandi alios, seque inculcare superbi
Civibus inferius positis vice sortis iniquae.

ALOIS. CHRYSOSTOMUS FERRUCCIUS.

AD FAUTORES OPINIONUM.

TEMERITAS

Quo pacto pueri aetatem praevertere tendant
Spe, super annorum numero si forte rogati
Respondent, res est captu vix aequa paratis
Praecipue senibus mentiri nomine eodem,
Quam sint longaevi, siquis scitetur ab illis.
Omnibus in terris vita esse catena videtur
Horarum, brevior quae fit rationis abusu.
Si scirent homines uti ratione modesta,
Possent in longam producere fila senectam:
Sed stimulos adhibere sibi, et sperare negata
Mentibus humanis, quod justum est fine, coarctant,
Exitus a cunis ut sit maturior aequo.
Quottus quisque viam emensus, juvenilia vellet
Rursus inire! memor qua spe fortasse, metuque
Passibus incertis se sub tutore ferebat.
Certa tamen virtus, atque experientia rerum
Fida sequebatur venientes temporis annos.
Sed superata fuit patientia peste sciendi
Luctifica, ulterius quam par sit, viveret inde ut
Cordis egens, et inermis homo exultantia contra
Monstra Medusaeo tenebrarum horrenda stupore.
Sic ego praecipiens, utor Laplace magistro,
Omne capax mundi potuit conferre volumen
Qui chartis, et digestum dare lege sub una. (*)

(*) *Système du Monde.* etc.

Attamen adductum ad fines vitaeque, viaeque
Poenituit sapienter eum captâsse Chimaeras. (**)
Id monitum voluit praesentibus, atque futuris
Philosophis constare fide, incunabula prorsus
Ne sit deserere, atque mari concredere magno
Se doctrinarum, mens ut cito naufraga fiat.
Naufraga dicetur mens, se nisi sana recellat,
Et vaga per varias res ad lethale feratur
Discidium, per quod sensu incomitata laboret,
In tenebris, lucem sibi visa videre diei
Alterius, sine corde pio, ratione superba.
Lux est a barathro, quae papilionis habet par
Exitium in flamma nimis alliciente lucernae.
Philosophi caveant sibi, discipulisque! rebelles
Ingenio audaci ne fiant, atque profani
Invadant templum, mysteria sancta salutis
Quo conculcantes, laesa radice creati
Orbis, id obtineant, humanam denique vitam
Deserto ut similem faciant, ubi, praeter arenam,
Nil sit colligere, atque siti perimente perire.

ALOIS. CHRYS. FERRUCCIUS.

(**) *L' homme dans cette terre ne poursuit que des Chimères.*
Giova ricordare che questo insigne scienziato morì ravveduto e cristianamente, confortato co' Sacramenti della Chiesa.
Della sua conversione parlò l'*Ami de la rélig.* del 7 marzo 1827, N. 1512.

AD MAXIMUM ACILIUM.

EXSPECTATIO

Maxime, cuncta tenes quae possint commoda haberi
Mitibus a studiis Musarum, ut splendida fias
Fax inter vivos, mediis novitatibus Orbis.
Sed quod agunt homines hodie, vel velle videntur
Quisque sibi, optatae pro libertatis amore
Mirifico, disciplinis discordat amoenis;
Vatis et ars omnis vana est efferre volentis
Non quod sit furor ingenii, sed fervor honestus.
Bella crepant mera, suscipiunt et imagine belli
Vivere ab unguiculis, procul exule pace domorum.
Tyrtaeus nî sit qui vult obtrudere versus,
Spernitur, inque tubae clangore sepulta perit vox.
Sunt tamen utiliter qui sperent posse monere,
Rursus ut incipiat pax cives inter amari:
Sed surdis in conventu praesente virorum
Dulce canunt; etiam siquis de semine jacto
Exspectet pacis fructus quandoque futuros.
Longa via errorum est, et non remeabile fatum
Rerum hominumque, Deo simul atque superba voluntas
Invidit sceptrum, sibi consuluisse putando
Fortius, ac melius si vires poscat ab imo:
Terra gigantaeos effert nam semper alumnos,
Sicubi concipiat sua monstra rebellibus ausis.
Certum est exitium ipsorum vel fulmine Olympi,

Vel rabie inter se Cadmei a dentibus hydri.
Sed nostrum non est rem praecipitare salubrem
Humano generi: tardant nam tempora votis,
Et mala summa pati prius a gravitate necesse est,
Quam postliminio revocata pace potiri.
Interea quid erit cupientibus? Orbe theatri
Sessores constipatos patienter adesse,
Donec spectâclo vertiginis irrequietae
Res producta diu nimium, velut Excetra flammis
Deficiens, det habere locum praestantibus orsis
Doctrinae ac vitae, scena mutante tenorem.
— Sed plures obtruncabit Libitina, priusquam
Exitus a cavea sit — Nil moror alterum inire
Sèclum sic jussos: vetus est nec futile dictum
= Ad vitae melioris opus migrare sepultos =.
Esse superstitibus superanda adversa viritim,
Aut monitum est sapiens aliorum, aut sponte timetur.
Ergo quam pacem vivi optavere, recepta
Mente animi, reducemque suis spectare diebus,
Defuncti vita invenient. Spes ejus utroque
Maximum in Orbe bonum est; et fit res acta sepulcro.

A. C. Ferruccius.

(Estratto dagli *Opuscoli Religiosi, Letterarj e Morali* fasc. 42 della Serie III e fasc. 1.° della Serie IV).

LEGENTIBUS

—

Omnia quae fato fiunt aut mente virorum,
Aut opibus, subeunt immobile posteritatis
Judicium, vel si patientes fallere chartas
Ingenium nugis voluit quandoque canoris.
David enim nemo, aut Salomonem e regibus ausit
Sede movere loci, aut vivos sermone prophetas.
Nemo velit gemino dispungere carmine Homerum,
Socratem, Aristotelem, Ciceronem, et proximum ab illo
Virgilium, aut Flaccum, et Taciti rude robur acuti.
Nemo queat Dantis numerosum impingere fundo
Tramite opus triplex, etiam si velle ferat mos,
Et ratio rerum volvenda aetate novarum.
Paucis exilium adridet, jejunave palma,
Se vivis, sterilisque labor, verumque loquendi
Despecta, aut saltem non intellecta voluptas.
Insanire licet praesentis murmure famae
Innumeros, quos aura levis feret ocyus una
Cum foetu breviore maris contermine spuma.

Sed qui sub modio male vivus sponte locavit
Seque suumque penu, non exspectatus inibit
Post alios stadium sêclorum, et secula vincet
Durando, invidiae domitor tunc serus, et exsors.
Si foret ista fides eventus firmior imo in
Pectore scriptorum, foret ars et sanctior, et vi
Certior, insignes repetens a morte coronas.
Auctor ego obscurus calamo, atque obscurior aevo
Mirifice obstanti, quod scripsi sumptibus edo
Ipse meis; dono, obtrudo quod nempe latere
Debeat, aut tacite expendi sapiente benigno,
Si quis adhuc vivit, cui sint in amore tenebrae.
Ne pete turba loquax, et doctae sedula rixae
Me tibi proposito sociari denique laeso.
Nec volo, nec quaero quod inane est; quaero probari
Post obitum, accepti atque dati rationibus aequis.
Si quid inesse boni Musae dicetur Etruscae, aut
Carminibus Latium in seros ducentibus annos,
Ac titulis, cinere exiliam tunc laetus, ut esse
Ipse mihi videar redivivus funere phoenix. —

AD CASTRITIANUM

LIBELLUS TITULO ADSIGNATUS.

Bilis anus sedet, inque foro spectatur, et aula
Stare tenax, et nere sagax quodcumque dat usus
Morum, et conducto grex sub custode petulcus.
Implet arundineam condenso vellere mordax
Illa colum, gaudetque rudi deducere penso
In medium quod agat vulgus glomeramine fili.
Plures Lucilî, plures in nomen Horatî
Folliculos densavit opus revolubile fusis.
Junius hinc etiam Juvenalis carpere vafrum
Se dedit, et validum, qui sexque decemque referret,
Postquam deficiens in sexto Persius haesit.
Addere nîl prodest (quamquam memorare sit aequum)
Quotquot ab ingenio, et studiis per postera sêcla
Insectatores vitiorum prosiluerunt,
Qui revirescentis vetulae sensere favorem.
Haud dubium est, illam lusum lusisse procacem,
Rebus in antiquis populi Latialis ab aevo
Ad nostrum tempus, per fila volumine jacta.
Multa tamen jacuere solo neglecta; sed ulla
Occultata jacent pluteis formidine lucis,
Non opportuno vel tempore inepta videntur.
Ast egomet stirpis de libertate Latinae
Quid canere instituens, volui comprêndere chartis
Pauca, recepturis quod ematur in orbe plateae.

Quem vero in partem curarum hoc munere poscam,
Ne dicam laudis, quae laus si venerit unquam,
Sera nimis veniet? te, Castritiane, libenter
Ante meum statuo, nomen geniale libellum.
Vexillum, clypeus, thorax eris, et simul ensis
Tute mihi, eunuchus ne fiam fraude profani
Emendatoris, male qui res aestimet usu,
Forfice nec dubitet vexare antiqua recenti.
Atqui judicium fundare videntur ad omnes
Utile doctrinas, qui lexica conficiendo
Magna, voluminibus bis terque quaterque recusis
Dant renovata pari verborum indagine, et auri.
Interea ingenium, veluti formica, minutis
Litterulis ceras impressas anxietate
Persequitur famuli durum servire coacti
Imperiis dominum, malefidens et sibi, et arti,
Judex ipse sui libra, nunquam levis ales
Qui volet ante diem, referatque a Sole suborto
Primaevos hominum, rerumque, operumque colores.
Quando erit ut miseras curas vi praepete vincat
Mens animi, qualem pro nobilitate sonoque
Carminis italici Dantes optavit habere,
Et sine compedibus tenuit liberrimus exul?
Transfuga cunctantes ego praetermittere cursu
Audeo, Bilis anus aliquot per pensa monendo,
Qualia quantaque sint incommoda sedulitatis
Adversus Musas trepidantes ante tribunal
Non exorandae rationis lance minaci.
Perdent signa tubae, si quid proceditur ultra
Militia imbelli, et timidis tribuuntur honores;
Defraudante scholam doctore, scholaque retusum
Ingenium, augeri quod debebatur ab alis,

Ut sentiret opem divinam pectoris aestu.
Suscipiant humiles, quibus est praesentia fautrix
Numinis in terris, hunc ignem, cordis et ara
Abscondant, foveant! Ira livoris inani
Abstineant contra, qui displicuere Creanti,
Et lapidum similes, nulla virtute calescunt;
Sed rebus proprium vellent inducere frigus
Contiguum mortis somno, latebrisque sepulcri.

I. AD DANIELEM ZAPPIUM march.

VECTIGALIA.

Mature Daniel sapiens, et amore legendi
Scribendique tibi constans, librisque vacando
Intra tecta domus recto liberrime sensu,
Libere agi, atque agere est nunc circumducere pubem
Nominibus falsis, vexare senilia, ne quis
Sit, nisi sub terram locus exercentibus imam
Ætatem curis incommoditate molestis.
Ergone plectemur semper re, corpore, fama?
Decepti specie, madefacti aspergine roris
Qui nos lymphatos facit occursare catenis
Quo libertatis magis igne calescimus intus;
Ac juga servitii duplicantes indita collo,
Jura nova, et patriam dum plenius ore sonamus.
Qui velit ad summam bene publica gesta referre
Inveniet tandem, consistere prosperitatis
Illa statu nitido, minimi si vescitur empto
Pane sibi et gnatis plebs, laeta labore diurno;
Et censu dives vir confert aequa tributa
Largus opum manibus, quae nolint parcere pensis.

Cetera sunt artis foetura miserrima pravae,
Quae nihili pendens quanti sit tempore certo
Terrarum tractus procul adsignare colonis,
Luxu frangit opes animi sub corpore merso
Deliciis, morem externo oblimantibus usu,
Et sensum patriae. Libertas attamen esse
Dicitur haec! ejus Duronî scilicet inter
Romanos equitis, qui posse negabat haberi
Liberum, et efferri, cui non licuisset ad imum
Perdere fortunas, discincti jure nepotis.
Nos agitamur eo fugitivae verbere larvae,
Plerumque elusi spe multa et magna tenendi.
Sic pueri a speculo trepidantis imagine lucis
Falluntur rapida vice luminis, ejus ab orbe
Officiens oculis quod in ictu se dat, et aufert.
Alternanda globi commercia fine ab utroque
Terrestris, sine fine homines hoc tempore laudant,
Naturam dispungentes rationibus aequam
Per varias regione plagas, habitumque modestae
Jurati vitae subvertere qualibet urbe:
Sed rebus propriis prudentes arctius uti,
Sobrietate duce, et contentos vivere parvo
Damnant. Sic sequitur luxum jactura domorum,
Et moris patrii, prope suffragantibus ipsis
Regibus a solio: queis vectigalia cordi
Praecipue sunt, auspiciis ad longa sinistris
Imperia. Abnormes nam qui gestare laborant
Pondere clitellas, longoque telonia questu
Implent mulctati, desperant rursus amari,
Jam nec amant dominos, et seditione calescunt;
Paupertate truces, odiisque rebellibus acti
Condere praesumunt et per suffragia reges.

Quid remedî contra? quid quod minuat mala mutae
Adfertur rixae ad motus vergentis iniquos?
Omnia conjurant adversus, et aspera fiunt
Exactoribus armatis, qui se metuendos
Dum statuunt, adimunt vulgo patienter haberi.
Lexica portorî superant jam lexica linguae,
Quippe peregrina de stirpe vocabula merces
Designant longe invectas, cupideque petitas.
Merx externa (novis meretrix trivialis abundans
Illecebris) sic more placet, celebratur et empta,
Tandem ut ipsa suo fiat peregrina sedili
Regia majestas, ad eam dum migrat amore
Atque fide populus, quidquid latret ore senatus.
Sed frustra querulo tu respondebis ad unguem,
Si dicas: — ignem voluistis, sumite flammas!
Quae vos conficiant cum nobilitate vetusta. —
Vivere quod recte nunc dicitur, urere et uri est
Luxuria, vitiis consortibus intus et extra;
Divitiis ne sint (sic ajunt) plena sepulcrum
Scrinia, cum damno plebis mercede juvandae
Atque operae, atque operum feliciter omnibus oris.
Arbitrium mercedis agi si cepit ab ipso
Sed grege, lascive sât moribus informato,
Ordinis eversi quis detrimenta silebit?
Quis non conjiciet fore culmina cuncta per Orbem
Æquanda, et breviter vincendi ardore soluta,
Dum dura exercet nos experientia rerum?
Qui sapit, et tecum facit, inclyte marchio, quem vis
Optima judicii populo secernit, et auget
Utilibus studiis, incendia vasta cavebit,
Obliviscatur medium si vivere sese
Fenore captivis, alieno ac aere gravari

Sollicitis minime, post vectigalia summa.
Hi tamen ad votum se libertate recepta,
Et bene composita conclamant pace beatos.

II. AD ASPENDIUM ÆQUICOLAM.

ARCHIDAMAS.

Quid placet, Aspendi, tibi de regione jugosa
Qua Florentiolae subjecta Focaria pagum
Sustinet, et capite Hadriacum procurrit in aequor,
Crustumii veteres qua delituere sub umbra?
An quod littoreae liceat per strata saburrae
Dinumerare vices pelagi refluentis ab alto:
An quod declivi vigeant arbusta vireto
Ad summum montis: vel qua se parte dat Austro
Molliter afflandum, productas ordine vites
Nutriat, atque suis feliciter alliget ulmis?
Quidquid erit tibi; me Paullae praetoria gentis
Proxima delectant, ubi ficta imagine belli
Stant incocta luto tormenta, et fornice terrent
Quaeque locata suo; mox aedis turre sacratae
Ascensus, vasto prospectu trans maris undas.
Inde (quidem memini) quum me juvenilis haberet
Ardor adhuc, oculorum acie vivaxque valerem,
Illyricos contra tractus, Hissamque salacem
Dispexisse semel, visu et vicisse potenti
Intervalla sinus (quod credere vix sit) aquosi.
Sed quod amem magis (et plane facere hîc puto mecum
Te) convalle brevi nullis Aquilonibus usta
Est illimis aquae fons, et cava pumice sedes,
Haud procul a tecto, quod rusticitate videri

Possit inops, sed habet pacis bona pauperis intus
Frugali mensa, et positis recubare grabatis.
Angulus o utinam foret hicce parabilis auro!
Hîc etenim vellem consumi aetatis ad imum.
Hîc agit Archidamas sapiens, acipensere vesci
Dignus homo, mulloque bilibri qualibet ima
Hebdomada, dum Judaei sua sabbata cantant.
Ille tamen contentus opum, quas sufficit hortus
Cum grege lanigerum, lactucas ponit agrestes
Pro dape, quae finem coenae praescribat herili.
Foenoris osor, habet lacrymis obducta subortis
Lumina, si quando adveniens quis narrat eorum
Exitium, indociles qui parcere sumptibus ullis
Invenere lucri barathrum salientis, et illic
Demersi perîere, domo, atque herede sequaci.
Omnis ab usuris magnorum est causa malorum,
Aerias quercus hedera superante per omnes
Silvarum ambages, ubi silva sit Orbis imago.
Hoc erat Archidamas trepida quod voce moneret,
Enumerans clari generis demessa Pisauri
Cum domibus bona, fortunas, et nobile nomen;
Consilium nobis tacite captantibus aequum,
Et (misero exemplo quod sit memorare) salubre.
A sene doctiloquo nec erat liber unus, et alter
Dissitus, unde viam mortalem absolvere laetus
Disceret atque libens, ceu nacto fine laborum.
Certabant veteres annis revirescere, tristi
Impendente super senio, studiisque vacabant
Oblectantibus, et molem avertentibus atram
Curarum; nova gens Italorum, struma Latini
Sanguinis, intentu studiorum arescere spectant
Flore juventutis, seniores atque videri

Solliciti, palpant lanugine praecoce barbam.
Otia doctrinae plerumque negotia vitae
Sunt minuentis opes proprias molimine inepto.
Curritur interea sine frenis, et sine mente
Huc, unde arcebat Sapientia scripta fideli
Corde, recepta scholis, naturae lege magistra,
Emendante modos legis Cruce mitis Iesu.
Ipse idem Archidamas docuit nos sponte quod infra
Scribitur, ad normam vitae civilis, et usum.
Qui sedet, et nullo conamine discutit umbras
Ad motus animi fragilis, fastidit euntes,
Stertit et ad portas lucis, contermine Vero,
Sed Vero nunquam insistens, et somnia captans.
Somnia captantur nihilominus aedificata
In speciem Veri, totumque recepta per Orbem,
Ex quo libertas coetus prope miscuit omnes
(Nomine libertas, sed prava licentia factis)
Auriculone duce, et profligati auspice moris.
Auriculonis habet proprium hoc mens: sperat, ubi alter
Aut timet, aut dubitat: temere omnibus imperat: omne
Aggreditur facinus, prout si deberet eidem
Sors suffragari, finem componere et orsis,
Naturam simul ac caelum obstringente reatu.
Huic obluctari, magis est audacter agendi
Omnibus articulis vim suppeditare, fidemque.
Sic minime falli dicemus in Auriculone
Qui similem esse putant hunc caeli signa cometes
Couturbantis ope insolita, volucrique rotatu;
Unguibus accipiter, vespertilionis in alis.
Tale quidem monstrum stupido mirantibus ore
Quid fiet vivis hominum, quid prole futuris
Devexa in pejus? dum divulgantur ubique

Sacra et sancta: novis dum cedunt extenuata
Jura sophismatibus, dormire et pulvere mersa
Damnantur veterum nodosa volumina vatûm?
Ut per ephemeridas discat levis ire juventus,
Et studiis sibi met vilescere; deflua risu
Perpetuo, aut fatis mortalia cuncta resignans
Praevenientibus, et secum mala fertilis otî
Usque fovens. An non divinae particulam aurae
Intus habent: an non domui, patriaeque, Deoque
Se debere putant aliquid, quod mortis ab hora
Praesentes faciat meritis, et amore suorum
In terris, simul in caelis det habere coronam?
Est in principio facti pars magna, fidesque
Perfecti. Quando nam, pigrum et molle sub umbra
Vos pecus, haerentes laqueis, viscoque veterni,
In vestra virtute valebitis, esse quid ultra
Optantes lotium grave, concubitusque ferarum?
Namque sequi bene velle solet plerumque potestas,
Vis et agendi aliquid non dicam insigne, sed intra
Humanam sortem donandum laudibus ullis.
Id moneo, et spero: nisi spes me fallat inanis,
Vosque metus semper cynici super optima sêcli.

III. AD AMEDAEUM RONCHINIUM v. cl.

CATASTROPHE.

Cote malos mores tetigi, ruditatis amator
Fingendae ad numeros civiles sàtque superque:
Nunc eo tentatum reges. Insana libido!
Quae nocuit multis, et nulli profuit unquam.
Liber enim ingenii foetus, Ronchine magister,

Nîl confert ad opes, opus est et inutile fama,
Aut etiam opprobriis, et iniqua flebile noxa.
Ast ego curarum relevatos pondere reges
Munere defunctos solii sceptrique, facesso
Plectere, et ad poenas minima formidine posco.
Hos cohibere lacu Deus altor plebis, et ultor [1]
Ore prophetarum promiserat, et sibi constans
Exemplo haud uno vim verbis addidit aequam;
Omnibus auxiliis caeli terraeque, marisque
Instructi postquam flocci voluere putare
Grande opus imperii (purgando singula raptim
Tabifica scabie) choreis, ludisque theatri
Indulgere, super vino suadente cachinnos,
Sepositis curis et condormire sub hostem,
Vel geniale caput circumvectare caballis.
Dic mihi, palpator nebulonum, Numen in albis
Alterum equis, quid erat caeloque, marique sereno
Quod tua majestas tam discordaret in aula,
Monstra ut avaritiae te circumstantia ferres,
Mox et adulantûm mulceres brachia palmis
Saepe cavis, eadem et, te stante, sedere juberes?
Te tua lenta manus, male sub venalibus armis
Fida, tulit fugere, et saxum petere, unde sinistra
Semper sorte fuit vos, et cum caede revelli.
Nec benefactorum memor ullus substitit (unum
Excipimus!) lateri tibi qui succurreret haerens.
Nunc derisus agis, tua quo demessa potestas
Sede carens saltat, mensis accumbit, et effert

[1] *Visitabit Dominus.... super Reges terrae.... Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum : et claudentur ibi in carcere : et post multos dies, visitabuntur.* (Isaias C. XXIV v. 21-22.)

Exhaustum foliis, ardente volumine fumum.
Hicce locus tibi debetur mercede soporis:
Ille calix Domini teterrimus, atque furoris
Nuncius extremus regnando semisopitis. [1]
Dic, leo sponte juba tractabilis ad paleare
Diffusa, rerum quis te descendere ad imum,
Post patulas laudes, tulit et praeconia longe
Didita per terras, mox et poppysmata vulgi?
Parce, minus gratus si forte videbor, amore
Illius veri, quod caecis emicat ipsis:
Te vitreum concepta superbia perdidit omnem.
Urbs, arx, res cunctis, ceu portus, et insula Circes,
Sponte data patuere manu, levitate tenaci,
Tunc etiam emissi cum fures aede Lavernae
Incumbuere typis varie signantibus aera,
Sed magis argentum splendente rotatile disco.
Caseus ut mures terebrato convocat orbe,
Regia sic tua densa latronibus officiosis
Visa est intextum dorso gestantibus aurum,
Principem et egregium mira fallentibus arte.
Tunc et in agricolam cecidit sors instituendi
Regalis pueri prurigine fraudis avarum;
Cujus sacra fames in apertum prodiit inde,
Quum pecus, et pecudis numerata pecunia vicit
Pondere custodem ac dominum constanter inertem,
Usque inde a teneris genitor quem dixit ineptum.
Mentis inops equidem nisi sit, tamen esse videtur
Qui sua sic alii committit, ut alter ab illo
Se, gnatos, totamque domum regat intus et extra.
Nauta nihil metuens a tempestate suprema

[1] *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis.* (Isaias C. XXIX. v. 10.)

Qui per posticum cum conjuge, prole, suisque,
Suscepto exilio, modice defletus abiret.
Non astus, nec eum miracula proditionum
Tecta, retecta dolis potuerunt vincere caecum
Consulto, atque suis manibus tetigisse negantem
Decipulas, pedicas, nec inemptos urbe tumultus.
Quid monuisse juvat, si dissidet aure monendus?
Surdus agat: sed surdus eat pulsantibus idem
Opprobriis, quo fossa patet reserata superbis
Queis errâsse via malegratus nemo, nec hostis
Unquam persuasit. Tanti stat cura recursans
Sceptrigeris hominum se cunctis anteferendi
Intempestivo, trans finem legis, amore.
Quid tibi subjiciam, vel de te, nobilis heres
Principis illius, cui spes, et gloria regni
Adfulsit primum? sed fons fuit ipsa, segesque
Criminum adhuc horrens, et sanguine foeda suorum,
Nec satis explicita pellacis origine culpae,
Nec satis occulta, sed amaro fine nefasta.
Quid vobis pueris infantibus, atque gerenti
Pro vobis pondus rerum nec amabile matri?
Vos omnes supplantavit minus aemula fortis
Vicini ambitio consanguinitate propinqui,
Quam fatum Italiae rapidum pernicibus alis,
Hinc telegraphice per gentes seditiosis,
Inde vapore citis, et utrinque parantibus orsa
Rêgminis unius qua pertinet una loquela.
Num scelus est ingens? num rebus maximus ordo
Italicis, operum nova post portenta resultans?
Oedipus intersit conjector; nam rudis ipse
Davus ago stupidum, neque in me veste recondo
Sollicitus memori calamo transacta notare,

Judiciis hodierna sequi, ventura praeire.
Nec penso abstineam, donec quod fata volutant
Praeterea, arripiam speculando, andaxque reponam,
Extremum potius me decedentibus addens,
Quam serie studeam praestare recentibus his, qui
Pegason insiliunt, et dictant jura Camoenis.
Vidimus hos, Ronchine, viros abolere vireta
Parnassi, et Pindi; mediumque inferre tribunal
Rerum, et verborum, Ratio quo lance sederet
Suspensa, et rictu turbaret muta canino
Virgineos vultus, oculosque errore micantes
Antea mentis. Habent quem vi voluere rigorem
Adjicere ingeniis: glaciem quoque Thessala Tempe
Concipit: accumulant se seria nubibus atris
Per loca nîl Phoebo debentia. Quid dabit aetas
Postera laetifici? Tibi dicet nemo, mihique,
Qui procul a pelago curarum, pace sepulcri
Gaudentes, portum mature intrâsse feremur.

IV. AD BENEDICTUM LIGUREM.

PRAECIPITIUM.

Quid sit, et esse paret mundi haec incommoda moles
Stantibus, et spatio brevis excurrentibus, audes
Scitari, et tibi rescribi vis praepete versu.
Quaere alium, Benedicte Ligur, nos vivimus extra
Hanc molem ingenio, premimurque gravedine crassa,
Demissis quoties alis nebulosa locorum
Stringimus, et curarum aestu fumare videmus.
Quid levius fumo? Monitor docet, atque magister
Fumus anhelando vi vanescente per auras,

Esse hîc cuncta nihil, praeter servire creanti,
In sudore sui vultus, Dominoque Deoque.
Error in optatis hominum est, qui lege teneri
Nolunt divina, in verbo dubitantque jubentis.
Attamen arva patent, sua praebet et ubera tellus.
Cincta mari, divisa mari, trans et mare longum
Planitie intacta vertenda potenter aratris.
Otia sed nactis latratur inaniter. Infert
Doctrina ardorem, sed obest animosa lacertis:
Ex cathedra nam dum loquitur, terit utile tempus
Quod foret agrorum culturae, effertque sonando
Flores, qui fructu careant sine amore laboris.
Corpus habet meritum virtutis in arte colendi,
Proxime ut ubertas a stercore tota sepulto est.
Spes capitur succis et sulcis intus, et extra;
Pace coronatur, donec contenta sit arvo.
Qui servant, habitantque domum, indignantur habere,
Nam vapor invitat vice quottidianus, agatur
Ut vita exterior, peregrinus discat et esse
Omnis homo, propria potius quam civis in urbe.
Qui fruitur campo, fit iners ab amore videndi
Gentes, resque novas, sequiturque vagantibus actos
Carpentis misera invidia, faciente rebelles
Saepe manus operae, cessantes atque colonos.
— Oh ego quam vellem sic ire redire volando
Exemptus curis! — vox est communis in arvis
Quottidiana, fide mutandae denique sortis,
Qua dominus fiat, domini super otia servus.
Donec eat rabies haec debilitare favorem
Et tecti et campi, strepitu vaga nocte dieque,
Quid vultis fundare, quod haereat ordine praestans,
Pace bonum, studiis laudabile, moribus aequum?

Docte Ligur, chorda quod oberrem saepe diuque
Hac ego, ne mirum tibi sit, cuicumque et habenti
Auriculas inter caput a vertigine tutum.
Hanc tibi subjicio fabellam, interprete versu
Naturae, quae fit stimulata minaciter atrox.
Tardus arator erat, quem nuncia stella diei
Expergefactum semel invenisse negaret.
Ergo serus opus qui suscipiebat aratri,
Protrahere ad medium prope Solem aestate solebat.
Venit, et a tergo pupugit sic acriter oestrus
Unam forte boum (faciebat namque duabus),
Icta cute ut traheret sociamque, rotasque, manumque
Fortis aratoris. Rapide hic sibi visus apertos
Sub stimulo tali dare sulcos, pellere pestem
Noluit in praesens, poteratque necare: sed ambae
Excussere jugum tunc vaccae, vique furentes
Praecipiti, implêrunt campum terrore, minisque,
Agricolae ipsius damno, rerumque suarum.
Id sit in exemplum meditantis habere juvamen
Rebus ab extremis, per et atra venena salutem.

V. AD JOANNEM PRATIUM v. cl.

VERITAS.

Prati, flamma facis per iniquum tempus adurens
Omnia sicca, quibus falx tempestiva pepercit,
Torqueor, incassum venatus, quomodo possim
Hexametro versu concludere nomen abundans
In sermone fori, sed semper inane sonando.
Tandem et ego expertus sum, pro ratione modorum,
Nominis, atque rei nos insanire figura.

Ducimur ergo umbra: sed quanam? Corporis umbram
Persequimur nostri, gaudentes fingere eandem
Ossibus ac nervis compactam, vera loquentem
Ad libitum, prout caecus amor prope dictat ab ore
Ejus adulantis, nec falsa audire timentes.
Maxima pars hominum sic falli et fallere amamus,
Atque coloratis oculos immittere vitris,
Omnia quae faciant ejusdem pene coloris
Esse, atque optari pictae sub imagine formae.
Sic ea, quam frustra volui connectere versu,
Exeritur tenebris, fugit, et cupit ante videri:
Nympha lacus vitrei custos, ubi captet amantes,
Sicut Hylam puerum; matrona vel abdita tecto,
Quae (nisi, dum prodit, tueatur fronte modesta
Matronale decus) fit pervia mille profanis,
Multiplici facie Protei soror, aemula, pellex.
Stringunt anguillam, quoties comprêndere tentant,
Et vacuis redeunt manibus mala turba procorum.
Sunt qui praesumant certis rationibus ipsam,
Retibus ut positis includere, vel dare vînclis,
Ut per aperta regant, mansuro aut lumine sistant:
Sed cohibere rati volitantem in pulvere currum,
Pulvere confusi ruptis luctantur habenis.
Nec desunt qui subtiles ab acumine mentis,
Et linguae ulterius tendant, dubiisque coarctent
Omnia, et in dubio statuant compendia Veri.

Ergo Verum est quo trahitur, semperque trahetur
Humanum genus, at nunquam, nisi morte, parandum.
Veri sunt luctus, sed gaudia falsa fuerunt.
Totum hoc quo rapimur, ceu vortice, constat acervo
Curarum, dicunt quem vitam in luce natantes.
Omnis vita metus, labor, error, denique et astu

Fraus mala, qua fiat locus ambitionibus, atque
Invidiae. Sunt hinc spectacula quottidiana
Philosopho et vati, siquis despectet arenam
Integer, et caveat miseris a partibus idem.
Intersunt plures animo studioque videndi
Quos levet arte dolus, quos plumbea deprimat ira
Sub livore gravi, sumentes inde procacis
Materiem sermonis; atrox injuria nî res
Misceat, et fictae foecunda calumnia culpae.
Rarus homo mente arripiet quod lenta retractet
Judicio historia, ut morum sit fida magistra.
Conflictu rerum atque hominum moribundus it ordo.
Publicus hic audire solet, quia publica palpat
(Credo equidem) mala, nec minuit, prope legis in umbra
Multifidae, interpres quam saepe malignus iniquat.
Justitia in Vero est, sed summo jure nocentem
Se dat: namque odium sequitur vestigia Veri.
Quid Verum est igitur? meritis quibus illud et ipsum
Afficit humanos coetus aut agmine parvo,
Aut magno? Dicat scapha remige pulsa perito
Per mare, quaesitum stationem in littore tutam,
Impendente super vi tempestatis obortae.
Illa volat, sed cauta volat sub verbere tonsae
Nunc agilis, nunc suspensae, prout unda ferendo est,
Aut adversa salit, scopulisque allisa resultat.
Tandem quo spectavit, eo propellitur, undam
Praevertens, habitatque sinu, secura procellae.
Qui numerare queat quot sospes ab ictibus illa
Remorum, venti, simul et maris, hospes ad actam
Venerit, hic dicet quanti sit, qualibus et se
Integret articulis facie mutabile Verum
Hîc, ubi sol noctem fugat, et nox pellit eundem.

Luce superfusa sed Phosphorus Hesperus idem
Prodit, et illustrat radiis utriusque recursans
Fatum; immortalis fax ipsa a sideris igne,
Quo sedet admiranda et amanda cuique, sed absens
A vivis ea[1], quam studui describere versu.

VI. AD PETRUM II. BRASILIAE IMP.

DE VERITATE AETERNA.

Petre tuos inter subjectos induperator,
Et tellure alia princeps imitabilis usu
Sortis, et ingenii, nascuntur bibliothecae
Omnibus in vicis nunc, ne dum qualibet urbe,
Dicam equidem, auspiciis in re praesente sinistris.
Proposito arcendi vulgares namque suorum
A cultu regum doctrinae impune vagantis
Multiplicare voluminibus fastidia tendunt
Ordinis; et rerum prope sunt elementa novarum.
In vetito licitum est; praecepta salubria libris
Inculcata sacris nauci sunt: esse rebelles
Laus est a pueris, atque insanire senecta.
Bibliothecarum matrona haec[2] (optima scitu
Quae servat, scriptis monumentis atque repôsta
Custodire mihi dat, codicibusque tueri)
Quottidie cunctis quamquam sit aperta, laborat
Nîl celebrata procis, ancillas nempe secutis.
Ancillas dico, quae sunt commenta libellis
Didita per coetus fallacibus historiarum
Nomine. Sunt isthinc mala plurima, maximum et illud,

[1] Nempe *Veritas*, cujus nomen non est hexametro versu concludere.
[2] Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Florentiae, cujus dignitas debilitata apud cives, invalescit apud advenas.

Pulverulenta suis pluteis quod gaza moretur
Doctrinae antiquae, tinearum praeda futura,
Aut etiam praesens: etenim neglecta fatiscunt.
Supplantata novis vetera ingrediuntur avorum
Sic latebras in spem reditus quandoque per aevum.
Fata retardando tamen implebuntur iniqua
Longa aetate, prius quam sint in honore nepotum.
Barbaries intercedit dominata per annos,
Recte possit hyems quae dici, rebus, itemque
Ingeniis hominum nimio fervore coruscis.
Tunc quae radices doctrinae haerere videntur
Codicibus, librisque, tenent arescere damnis
Irreparabilibus, nisi flamma det ante peremptas.
In cinere atque situ posuere cubilia blattae;
Pejus adhuc blattis genus incubuitque volentûm
Exstirpare vetustatem, quae voce reclamat,
Ceu Polydorus, et in tenebris enecta recumbit.
Hinc nova divergunt, viridique comantia fronde
Absque fide amittunt spem temporis, et cito tangunt
Sicca solum, levibus sint ut ludibria ventis.
Secula quis dicat vinci sic posse manendo?
Fit satis una dies, aut altera pene solutis
Rebus, item studiis a consistente senecta.
Nunc risum movet, ut quondam veneranda senectus
Esse ferebatur: vitae promissio longae
Nec male cordatos pravo detorquet ab usu;
Sed furiis agitata ruitque, patratque juventus
Omne nefas, tandem et furiis se devovet ipsam.
Quae sint inde virûm portenta futura per Orbem,
Monstra vel horrendis animalibus invidiosa,
Dicant mythologi veteres commenta locuti
Impia, vera tamen, novitate fugante senectam.

Quid facitis, reges, vel quid delata potestas
Ad plures? nisi prospicitis, propiore ruina,
Vobis, et patriae, positis ac civibus uti
Urbe, domoque sua, simul et se pace tueri.
Ad mala summa gradus brevis est a lege refixa
Naturae, atque Dei sua marmore jussa canentis,
Quae mala pervadunt, perimuntque opus omne regendi.
Majorum ad mores revocanda est semper inepta,
Et vitiosa magis, Satana instigante, propago.
Dat Deus auxilium cupidis, cunctantibus aufert:
Aut quia velle fide caret, aut quia posse videntur
Absque Deo sibi met, quod erit sine Numine nunquam.
Barbarie barathrum patet, intus et ignis anhelat,
Quo Satanas cruciatur: habent suspiria ventum,
Illustres animae quo conflictantur, et ardent:
Illustres raro nam sunt sine mente superba.
Invidia, ambitio consors levitatis, et ira
Inflatos violenter agunt, certantque reductos
A virtute Dei paullatim inferre profundo.
Sors humilis laus est Ejus, praesepe, crucemque
Qui sibi junxit Homo de Virgine natus, Eaque
Intacta penitus, Rex inde a morte resurgens.
Heu quam stulte agitur! compresso fonte videmus
Sumere vim patienter aquas, ut viva resultet
Vena solo, se subjiciens quae tendat in altum;
Et dubitamus eo exemplo concorditer uti,
Quo virtute humiles fraterna pace fruamur.
Nullius est legis vis haec, sed sponte volentûm,
Quottidieque recordantûm quae denique Caelo
Scamna reserventur demissis corde libenter.
Sed Christi Jesu vox, ipsum exemplar et Orbe
Nunc prope derisum, cujuslibet urbis it exul;

Multum deflendus sequitur civilis et ordo.
Culmen in obsequio est legis, quam Christus abunde
Confirmavit ope, atque opera Dominique, Deique.
Petre, tuum est sapere in Salomone, Crucisque Magistro
Post Job, qui voluit rex mortem infamis obire.
Multa nova educi possunt per tempus, et ipsa
Subverti, aut refici: quod testamenta duobus
Stare voluminibus sêclorum in sêcla tulerunt,
Sanctum ac sacratum est, et erit mutabile nunquam.

VII. AD NAPOLEONEM III

ITERATA CAPTIVITATE MEMORABILEM.

Surdus apud cytharam de libertate sonantem
Mirifice incerta post te, sinuose magister
Ambigui sermonis, eras, et acerbus agebas
Utilibus monitis, te ne sors caeca levaret:
Nunc sublapsa retro est, et res cecidere sinistre.
Undique collecto Germania milite juncta
Irruit, insulsum premat ut te mole minarum,
Ventosum et lingua, desolatissime vappa.
Ecce hic qui populo voluit debere coronam
Absque auctore Deo, breve post certamen iniquis
Viribus, intrat humum, et sua jura resignat eidem.
Omnia condet humus, praeter sollemne pudoris
Dedecus in tanta rerumque, hominumque ruina.
Tollitur annorum viginti vel scelus ingens,
Vel coacervatae caput impietatis in omnes
More bonos, et honore sacros sub lege salubri,
Principioque Dei te subsannantis ad imum.
Tange, maligne, fuga littus quodcumque plagarum
Orbis; abundabunt in te maledicta perosum

Praesentes quos heroas vetus extulit aetas,
Et vita functos caelestibus adnumeravit.
Donec cum liquida electri virtute loquacis
Ipse vapor dominetur eis, capita alta premendo,
Nec fluat ante pedes patiens civilis habenae,
Et minime officiens curae interioris amori,
Insomnes a perpetua vertigine reges
Semper erunt, et erit respublica sola superstes
Voce, nec illa tamen rate constans, remige tuta,
Sospes ab aerumnis per quottidiana perîcla.
Donec dextrorsum cives in nomine legis,
Atque sinistrorsum tollent sua signa, coronae
In capitis summo regalis semper erit sors
Ambigua, et sceptri trepidans in sede potestas.
Donec ab usuris salientibus, atque metalli
Pondere lucrifico felix dicetur in Orbe
Esse status rerum, nec jam virtutis honore,
Pyramide inversa constabunt regna, supino
Ventre renascentes passura minaciter angues,
Denique mortifero qui laedant viscera morsu.
Donec eat ratio violare arcana Fidei
Cuspide judicii quae corde expungat amorem,
Ut paret illa jugum ingeniis, et comprimat alas,
Nulla erit exempli praestantia, nulla laborum
Meta salutaris, nihil et dicetur herile,
Pondere servitii regesque, gregesque gravante,
Ad caelum jam ne sit iter, sed ad intima terrae.
Donec scire levet sapere, insideatque cathedris
Stirps mala, pro veris quae falsa obtrudat iniqua
Voce magistrorum, quorum est incendere mentes,
Corda nec utilibus formare capacia curis
Urbe, domi, frustra optabunt in culmine reges

Aut sibi subjectos proceres, aut esse fideles
Obsequio populos, quorum impietate nefanda
Ipse Deus pulsatur, iners et habetur Olympo.
  Commoda donec erunt nimis exquisita per urbes,
Atque theatralis pervertant munera scenae
Omne quod humanum est vita, fucoque recondant
Turpe magisterium minuendi impune pudoris,
More sacrata pio quin et confundere risu
Experiantur, avis atque insultare sepultis,
Officio constabit iners, vel ineptus inani
Rex solio, pater atque domi, cathedraque magister.
Pejus enim nihil est quam deridere quod obstat,
Lege prius posita: paries et (aheneus ut sit)
Cedit, ubi risus secreta profanat asylo
Cujuscumque domus custode rigore carentis.
  Brachia donec erunt hominum, nec pectora fulcro
Fida thronis, flatu ceu vimina quassa Notorum
Jura vacillabunt, nec erunt immota manendo.
Jura bonas leges faciunt, bona legibus esse
Nec contingit item jura indulgentia verbis
Vestem. Si leges juga sint portanda vicissim,
Aut pariter, placidis se civibus ordo tuetur:
Sed si concedant alicujus partis in usum,
Publicus ille ordo turbatur, et exit in artem
Semper damnatae, semperque tyrannidis auctae
Fautorum numero, quoties audita sit illa
Vox libertatis longe diversa professae,
Quam sonet auriculis patientis dura popelli.
Denique lex est lux: rex est sed lucis origo
A virtute Dei, quamvis reflexa per omnes
Vel coetus subjectorum, vel ubique plagarum.
Conveniunt spes atque fides constanter in uno,

Suffragatur amor si majestatis honori.
Id nunquam, aut raro contingit pluribus, omnes
Nam divisus amor cura non afficit aeque,
Nec patet ad multos, quem pauci forte merentur.
Mos civilis apud plures est cura colorum,
Vita quibus, nî sit, videatur honesta tenore.
Sunt variae species, florent et in urbe colores:
Illic insidiis agitur, quae luce dolosa
Incautos hebetes faciunt, falluntque decenter.
Nunc ea pestis agros etiam pervasit, ab illa
Ut nihil intactum longe lateque sit Orbe,
Nec secura quies ovium sit ab ore luporum.
Vos facite, heroes (fortuna praestite tales)
Praeterea ut vitiis suus, et virtutibus alter
Sit color: urget enim sic a splendoribus aurum,
Et nocet, in vitiis ulla ut videantur honesta,
Ulla etiam officiant virtutibus invidiosa
Ante oculos vulgi, cui stat pro numine nummus.
Heus! reputate fugax, et inexcusabile tempus
Opportuna trahens momenta, salubrius icto
Foedere Germani reges cum Rege Borusso:
Ne cadat incassum tantum conamen in armis,
Tanta virûm strages, tanta inclementia fati;
Et spes sit remedî post vulnera densa flagello
Bellorum horrendo, tormentis ignea, miris
Excidione modis teterrima, caeca furore.
Nostradamus vates [1], qui dudum interfuit astris,

[1] Nostradamus. Les vrois Centuries, et propheties. Amsterdam 1668-12.

« Quand le second Empire en Lutèce adviendra »
« Dix-huit ans moins un quart, pas plus, il ne vivra! »

En termes clairs le grand Nostradamus, qui a vécu (1503-66)

« Dix-huit ans, moins un quart, et pas un jour de plus! »

(cf. Chatelain, Ronces et Chardons.)

Et non imprudens quid significetur ab illis
Intuitu arripuit, peracute secla videndo
Terna supervolitans, annosque, diesque notavit
Imperii alterius, quod, Napoleone recluso,
Tollere vos fuit unius prope fulgure mensis.
Quid mage divinum vel contemptoribus ipsis
Et Crucis, et Christi, cum lege a Patre profecta,
Jesus adimplevit quam rex interpres ad unguem
In quo peccavit, vitate, rebellibus ausis
Iste Deo ingratus, qui carceris arcta relinquens
Ambulat ad solium, elusis custodibus, inde
Carceris alterius fit compos, semper eodem
Fine superborum, vis et ratione suprema.
Sic Faber aeternus ponit cum forcipe malleum,
Usus eis postquam fuit, artificemque probavit
Esse magisterio supraque infraque potentem:
Malleus ut jaceat cum forcipe, donec ineptos
Occupet aerugo, socio squalore, recondi
Succrescente solo patiatur et immemor aetas
Judicio incerto historiae, certoque sepulcro. —

VIII. AD JOANNEM BAPTISTAM GIORGINIUM.

DE SENSUS DEPRAVATIONE.

Musarum studiis praestans Baptista Joannes
Giorgini, nec philosophi minor arte, vel usu,
Qui velit humanus secus incunabula dici [1],
Quo consistemus, si qua sit longius ire
Quam natura sinit, mos, lex, domus, ambitus urbis?

[1] *Philosophi accedunt ad incunabula.* Cic.

Nomine mirifico patriae complectimur Orbem!
Quid magis est amplum? Sed odor vanescit in ipso
Terrarum atque maris spatio tam dulcis, itemque
Praevalidi officii, quo stringere cuncta professus,
Nîl tenet, et longinqua petens homo proxima perdit.
Febris anhela quatit nos, qui levitate gravamur
Mentis et ingenii, brevibusque ad vasta lacertis
Arguimur vacui. Sed nunc fervore superbo
Discîplinarum, per somnia venimus illuc
Quo schola fert pueros dediscere quidquid habetur
Civile, humanos aegre ut fateantur adulti
Esse, et censeri, deriso donec amore,
Obliviscantur mundani tecta domorum,
Et vix dilectae vitent incommoda prolis.
  Rebus sic positis, et nullo rore pudoris
Nascimur ex habitu, quo fit muliebre veratrum
Vel vagina maris, vel vas a spermate spumans.
Exit homo: sed qualis erit! quem nulla voluntas
Progenuit, parium sed utrinque soluta voluptas.
Inde mali labes, qua stirps vitiosior implet
Spem miseram, atque locum vitiosae stirpis in aevum.
Nascimur, et fratrum vix nomine noscimur uno
Sub tecto, haud unus quod commaculavit adulter.
Proh detestandum facinus! proh dedecus ingens!
Urbe, domi pereunt sic aedificata Latinis
Moribus; et partas sic res nothus occupat heres
Jure quidem merito: nam se natura relaxat,
Et transversum agitur, si legum vincula cessant.
Tunc fit inhumanum genus, atque infertur abysso,
Cujus in ore sedet capitali oblivio poena.
  Seria sed lasciva solent, nihil atque decora
Dicere qui vigilant, nulla ut sententia veri

Eruta visceribus naturae detegat, urat,
Perdat et indignae scelerata sophismata fraudis.
Quicumque aggreditur, cura perimente, mederi
His a stirpe malis, prope delassata reportat
Brachia, virtute eloquii neque proficit hilum.
Non ideo tacuisse licet. Sit quilibet Orbe
Surdus et immotus in praesens, audiet alter,
Qui fiat justae mox utilis echo querelae:
Nam spes differtur, sed non aufertur honesti,
Quod reflorescat post multos labe reatus.
Turba balatronum vitiisque, virisque per urbes
Perfide adulatur, vendax calamique, suique.
Et faciat: vixere prius, qui cuncta perire
Dixerunt secum, vel post se tempore parvo.
Interea tellus eadem cum rebus eisdem
Durat adhuc: nec posteritas mendacia linguae
Ad trutinam revocare satis prudenter omittet,
Et damnare, cadat simul ac cava nubibus umbra.
Si vellent homines sibi prospexisse metipsis
In longum tempus, quod erit post fata futurum,
Deberent umbram hanc metiri, et scire quousque
Officiet, vel qualis adest, vel quanta videtur.
Urget enim vivos plerumque, obituque recedit.
Haec ab avis ratio est atavisque, a morte tenere
Verax judicium meritorum, et nomen habendum,
Secula donec eant studiis humana. Caduci
Immortalia spectamus, mortalibus ut sit
Nobis norma boni et recti, quae partibus aequet
Omne genus, satis injustis sub sorte fugaci;
Ut desideriis concordibus esca sit illud
Quod superat captum, atque fide spem tollit ad astra.
Tunc minus in pretio est, caret invidiaque quod infra

Exercet rixis, animosque libidine mutat.
Dicite, philosophi, qui debilitatis amorem
Doctrinae in Verbo reparante, Deique figura
Praesente in terris, quo pertinuistis id unum
Urgentes, Ratio Fidei sit ut aemula semper?
Haerent discipuli in dubio, nisi prorsus habenis
Excurrant laxis, seque et sua perdere tendant.
Namque aliquis vetiti cujusque potitur, et implet
Cognitione animum nocitura a praecoce sensu,
Rebus inaedificans res, contristandus et ipsis.
Alter praecipitat quo fert venus, alea, vinum,
Sollicitus ne praevertat mors omne quod infra
Et placet, et vivos homines animalibus aequat.
Pergit uterque mori, spem vitae nobilioris
Ablegare, tenax, Nihiloque occurrere pronus.
Sic qui debuerant vitae inservire magistri
Dotibus ornandae virtutum, ad regna cuique
Proposita in caelis operum mercede bonorum,
Seque suosque luto gaudent involvere alumnos,
Prostratum genus ut jaceat, nec honore resurgat.
Consulto id fieri, vel conniventibus ipsis
Cernimus in solio rectoribus. Ergo soluti,
Quo via ducit, eant omnes, intrentque barathrum,
Hîc ubi principium generis compagine bruti
Expiscantur, et invento, sint pace quieti,
Pace putri, qua merda fimum fit pingue latrinis.

VIIII. AD DORIDEM ISTRIANAM

DE UNIVERSITATE DOCTRINAE.

Doris amatores ubicumque habitura poëtas
Ingenii flamma, te convenîsse mihi fit

Lumen ab ardenti ceu continuare lucerna,
Per tenebras ut eam longinquae aetatis avorum,
Principiis retegens elementa obscura profundis.
Nosco quid Indorum doctrinae fluxerit ad nos
Occultis rivis ab origine relligionum.
Secula sêclorum superans, et tempora Môses,
Molibus Ægypti insisto, velut aliger, inde ut
Expendam quales veniam peregrinus ad oras;
Unde remetitum penitus secreta meatu
Tentati toties cunas sit cernere mundi.
Mexiacos ad opus successu tale requiro,
Praesentes et eos interrogo, perque remotas
Historias, et confusis monumenta figuris
Posco, Chaos partu quidnam dedit, absque Creante?
Ne Deus intersit, vel machina prodat eundem.
Hunc cavet, ut scopulum, maledicta superbia mentis
Humanae, superaedificans molimine turres
Turribus excelsas, nihil extenuata ruinis.
Tandem etiam sistet, sed fulguris igne perusta,
Sunt a petrolei cujus praeludia peste:
Semper enim fulmen disterminat orsa gigantûm,
Æmula quos caeli tellus creat intus, et effert.
Illi indignantes subeunt cava viscera matris,
Inque sepulturis ferme incunabula vitae
Usque novae inveniunt, rediviva in sêcla propago,
Fratribus hostilis plerumque minoribus. — Eja!
Nunc scio quid sibi vult intonsam pascere barbam,
Esse supercilio hirsutos, habituque severos.
Imberbes video Ciceronem, Virgiliumque,
Atque Venusinum cum pluribus hujus abollae,
Quorum erat in studiis humanos esse et haberi.
Ast illi insurgunt, et mole minaciter alta

Inculcant aliis sese, nec amore moventur
Erga vicinos, queis, more horrentis echini,
Se dant inflatos a nomine philosophorum.
Quinam philosophi sunt hi, quibus edita mundi
Jam non sufficiunt primordia? sicut anheli
Aut fodicare canes, aut indagare quod infra est,
Nil cupidi retinere quod haeret dentibus. Hora
Tempore sed praesens fugit enumerare volentem
Singula praeteriti momenta; instatque futurum
Motibus insanis, et turbine seditionum,
Queis aequata solo sit regia sede potestas
Absque gubernâclo, circumsistentibus armis.
Expergefacti sero! resipiscite tandem,
Ut videatis apud somnum, quae fata trahantur
Indiciis gravibus belli capitalis in omnes
Omnium, inexpletis votis quid majus habendi
Quam Fortuna dedit: nihil et dedit illa popello,
Ejus item proli, praeter servire merendo,
Fortasse et dominis mense oblatrare Decembri.
Libertas linguae tunc esse licentia tendit
Prosiliens ad opus plerumque injusta petendi:
Quare correctoris eget, ne corde soluti
In praeceps sine mente ruant moderante minores.
Omnes sed servi sumus, hi civilis habenae,
Nos multiplicium farragine doctrinarum;
Nec digesta dabunt simul omnes omnia pleno
A stomacho. Loquitur sibi quisque quod utile ducit,
Indigesta etiam profert; quod et evomit, est fel.
Lingua procax nihil ossis habet, sed acerba referre
Dicitur, imprudens, a verberibusque retundi.
Quod placeat vulgo, non est quod semper ubique
Sit fas, vel licitum. Facit hinc praesentia freni

Ut natura hominis pro sobrietate modesti
Ante sui similes sibi temperet a ratione,
Qua nimis alta petens exlex fit amore stuporis.[1]
Lex est norma viae communis euntibus una
Communem ad noctem, post justum lumine tempus.
Non admirantes pueri, sed ab ubere matrum
Sunt sensu humani quos relligione recusos
Altera suscepit vitae sors, officiorum
Mox vice perpetua, nullo vel juris abusu.
Omnia complecti ferme temeraria dici
Cura potest; verbis fiunt dispendia linguae
Circa res. Superet fines mensura sciendi
Herculeos, aderit mare magnum, pyramidasque
Praetergressus homo, deserta dolebit inire.
Hoc sed agant aliqui (monitor velut Orbis Ulysses
Exterius positi) facere omnes, est adhibere
Urbibus ac domibus vim dissociantibus ausis.
Propterea modus ex cathedra sit in ore magistri
Prudentis; sub amore domus minuatur ut aestus
Horum, qui cupiunt mundanos esse docendo.
Nam schola discentes pietate fideque suorum
Exspolians, inflabit eos simul amplifica spe
Stringendi totum, quantus sit partibus, Orbem;
Par ut Alexandri sit quisque, potentibus armis
Rex magnus, qui spe jacuit majora tenendi.
Nil minus hydropici sunt hi, qui ventre laborant
(Instigante siti bibere id quod denique perdat),
Quam quos cunctarum speciosa scientia rerum
Urget ad interitum, quia nullibi sistere possunt,

[1] .... *neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.*
(Eccl. c. VII. v. 17.)

Nec fortasse volunt animis ratione superbis.
Linea recta via finem deducit ad unum,
Qui finis mors est! Per diverticula vitae
Fines sunt varii varia regione locorum:
Quapropter gyro curvat se quisque viator,
Prout fert ingenium, vel mos, vel natio gentis.
Detorquere alio vadentem sponte nefas est:
Arbitrium laesa nam libertate periret
Nempe in eo, quo libertas ululata resurgit,
Nomine larva fugax ut semper fallat hiantes,
Ejus et ambrosiam sitientes gutture inani.
Contrahere ergo juvat se, plusquam tendere supra
Cognita doctrinae rerumque, hominumque sine ullis
Finibus. It Salomon rex, atque gravissimus auctor
Ante omnes, nitide ut doceat, quid spiritus inde
Colligat humanus: — vanis inolescere curis,
Destruere et pacem studiosa indagine pacis;
Flumen ut irritat mare semper, amore quietis. —

X. AD IOSEPH H. LUPTON

DE PRAESTANTIA LATINITATIS.

Accepi, legi. Sunt omnia digna sequace
Auctorum calamo, quos tu, fidissime Lupton,
Nobilitans, facis ire graves in veste Latina.
Nescio quis scriptor (certe fuit ille Britannus
Judicio peracutus) ait, praestare Latinum
Eloquium tritis sermonibus omnium in ore
Omnis in Orbe plagae, ceu bellipotentis Achillis
Arma, rogante Dea, certum est meliora fuisse
Armis, quae gestit mutare, nec obtinet Ajax.

Hujus in effato scriptoris, Lupton amice,
Gratulor ipse tibi, potior qui nempe videris
A sensu doctrinae aliis, et mente sagaci,
Dicam etiam, constante animo (praeeunte Kynaston)
Nam cultus Latii nunc est prope nullus ubique.
  Plurimus in studiis graecissat, inaniter urgens
Quod nunquam teneat verbis aequare: rotundum
Admiramur enim, sed non attingimus illud.
Sic fulgur splendore oculos ferit, et parit umbram.
Hinc steriles ab ea redeunt ratione scholarum
Discipuli: invitant modica sed luce Latina,
Quae placant animos, quos Graecum syrma stupendis
Implet imaginibus; dediscant scilicet, inter
Heroes, ut amare homines, caeloque referri
Optent, sive Deos, aequales inter, haberi.
Humanum Latium est, ex quo sine legibus aequa
Gens ibi Saturno gessit se rege quietam.
Sed Grajos veteres turbavit ab Hercule Grajo
Gloria bissenis quaesita Laboribus. Exit
Inde Pelasgorum felix audacia, nidis
Exterius positis, novitas ubicumque placeret.
Ast ubi pax hominum ac rerum suadebat, aratris
Continuare arvi spes parturientis in annum,
Nota parum fuit ars, minus atque injuria belli;
Exemplumque pii Aeneae infirmavit Achillem,
Quidquid et a Trojae excidio sublime sonabat.
Æquanimes fert esse viros ea Lingua Latina
In Cicerone tenens quod sit facundia princeps
Ordine civili, quod philosophia sit intus
Libera, serva foris, simul officiisque salubris.
Graecia prisca inter stoicos, cynicosque pependit,
Jam risu resoluta super mutabilis aevi

Rebus, ab Heracliti jam contristata querelis:
Sideribus propior visa est et in ore Platonis,
Socrate posthabito, quia forte humana doceret.
Sicut apis, Cicero desumpsit utrinque quod esset
Doctrinae et vitae prope mel libamine honesti.
Cetera praetereo: nîmis enumerare loquendo
Nam foret, historiis qualis sit Livius auctor,
Et quantus Tacitus, vel majestate canorus
Virgilius, lyrica vel Horatius arte magister
Consilio tali, quod mentibus addat acumen.
Compos propositi semper virtute Latina
Exstat homo: sunt Graeca fide plerumque minora,
Quamvis ingenio sint splendidiora ferace.
His animadversis, facile patet, esse Latini
Moris, item Linguae super omnia *diligere aequum*,
Quod facit *humanos* vitae sociabilis usu.
Semper iniqua nocent. Hodie sed iniqua vigescunt
Prodigiis operum: sternuntur sicca viarum
Subter aquas: geminum mare jungitur, unus et aestus
Amborum est, scopulis sublatis, aequor et unum.
Mons per anatresim fit pervius alter et alter,
Visceribusque strepit. Quare, si Lingua Latina
Sit minus in pretio, nihil admiremur: abundat
Poena malo; ratione carent nam pleraque rectà:
Vis perimit jus: esse pios prope crimen habetur.
Ergo quid superest? Pereant data munera *Linguae*
Pacalis, nos et secum pereamus ad imum.
Relliquiis contracta suis sic usta favillas
Charta superstes agit, vanescere fert et easdem,
Usque renascentes errando, maxima donec
A cinere exsiliat, moriatur et ultima luce. —

XI. AD JOANNEM ANTONELLIUM

SODALEM CALASANCTIANUM.

ab aquilone fumus veniet (Isaias c. XIV. v. 31.)

Antonelle Scholae decus, et laus summa Piorum,
Astra mathesis habent te magna ex parte, sed idem
Indulgens studiis a corde pudenter amoenis,
Motibus et cordis gaudes humaniter escam
Jam de Virgilio dare, jam de Dante poëta.
Unum est quod patet astronomis et vatibus illud
Convexum caeli, quo spiritus innatat auctus
Virtute ingenii, fugit atque paludis odorem.
Quisque propheta potest tunc esse ab utraque palaestra,
Dummodo despiciat quae, qualia, quanta ferantur
In praeceps infra, vix aedificata ruendo.
Volvuntur nubes ventorum flatibus actae:
Jam Notus insectatur eas, jam convocat Auster;
Jam facit errantes quas dissecat Eurus, easdem
In diversa trahens, Boreas sed dissipat omnes.
Candidus aspectu polus est, aperitque serenum,
Post tempestates magnas caelique, marisque.
Rebus in humanis eadem natura videtur
Et regere, et certos justis subjungere causis
Effectus, per quos Causarum Maxima fiat
Nota viris, cogat frontem et demittere. Vivi
Revera si respicimus, patientia quae sit
Naturae adversus juveniliter exultantem
Ante suos gressus Artem molimine magno,
Ingeniisque operum, nobis, ipsique timere
Pene foret: sed eunt mala publica more superbo

Multiplicata modis quibus extenuantur ubique
Ejus, itemque sui jura, et praecepta Creantis.
It ridens silvester homo (prout fabula narrat)
Impleri videt obscuris dum cuncta tenebris
Nimborum, pluviam cavet atque sub arbore, sperans
(Qui certe exibit radiis) post nubila Phoebum.
Obdurare fide laus est non ultima vitae,
Quae sit proposito constans, referatur et astris,
Atque Deo auctori totius in Orbe catenae,
Unde scatent subito eventu nihil antea nota
Vel praevisa, hominum vulgaribus usque stupenda.
Caelum semper habet sibi vis Aquilonis apertum:
Nunc etiam terras, demessis robore silvis,
Obtinet, atque vias omnes, quibus usa vapore
Gens pigra praerapido brumales frigore tractus
Devorat, Arctoas fugit et nive stante pruinas.
Credibile est etiam quod habentes mensibus octo
Concretum tellure gelu, prope Solis inepti
Sub splendore, velint aliquando poscere cur nam,
Omnia progressu dum fervent, sit sibi, coram
Debacchante Austro, statione rigente morari,
Longe interdictis ficis, et vite negata?
Dum florent ad opus vires, campisque potiri
Possunt, quos nostri ponunt post fenus avarum.
Ut cunctetur adhuc momentis hora suprema,
Attamen adveniet: sed nos habitabimus umbras,
Extra vim fati, felices pace sepulcri
Hîc terra in patria, quam gens magis aspera tactu,
Fraude timenda minus, potiori jure tenebit.

XII. AD DOMINICUM CARUTTIUM

DE PACE IN ARMIS.

Carutti egregie ingenio, meliorque Latina
Discîplinarum virtute, et lumine recti
Judicii, raros mihi nobilis inter amicos,
Omnium in ore virûm mira est concordia vocum,
Publicus ordo quibus, fas, jus, mos, sensus honoris
Laudibus efferri audimus, cum semine jacto
Libertatis apud gentes ditione remotas:
De cultu fidei cum relligione siletur.
Pergat homo in caelum studiis, vel tendat ad Orcum,
Nîl refert: satis est ut legibus, atque tributis
Sit docilis, pacemque latrans stet semper in armis.
Nulla unquam belli facies tam spissa paratu
Aclidum, et ense ferox fuit hîc praeeunte manîplos.
Hostis ubi est contra? stat nullibi; quaeritur extra:
Frustra exspectatur. Cubat intus causa timoris,
Namque fides pacis nulla est, et pellitur ipsa
Vivorum ex animis, videatur ut otia ferri
Diligere acta palam, portasque relinquat apertas
Cordium ad omne scelus super artibus insidiosis.
Implet mensuram stultae rationis, habere
Imperiis dominos qui perficientibus arma
Plebis in excidium decernant praemia raptae
Delectu annali, vi militiamque professae.
Progredimur non ad finem civilis amoris
Inter consortes fraterno foedere gentes,
Ast odiis via fit, manifesto fomite belli.
Machina perdit eos, quibus est dominata ruinae

Principiis fida, et disterminat omne quod obstat.
Quid facitis miseri? Licitum impietate duellum
Nempe fit ex vestra; infelix utcumque sit orsis
Illud, honoris habet speciem a virtute lacerti.
Vos sed inhumani per caedes accumulatas
Ingeniis operum spolia adfectatis opima.
Hoc unum facinus, possit quod vile videri,
Barbarieque nova est memorabile, tempora nostra
Dividit a sêclis majorum, tamque remota
Esse facit, quam nox procul a splendore diei.
Nec pudet efferri vos nobilitate triumphi,
Post fumum tormentorum, crimenque patratum
Infando exitio, Cyrus ipse quod horreat alter,
Altera et insultans Tomyris punire laboret.
Attamen obsistunt, seque emersisse gigantes
Jactant a studiis sublimibus, artis et usu,
Quae numeros belli implevit capitalis in Orbe,
Ocyor ut reditus foret ad bona pacis ubique.
— Quaerite sic pacem, sed pax erit illa sepulcri!
Rectores hominum populos et haberé verutos
Proxime et exleges animis, tunc denique discent.
Instat petroleum judex, intersit et illud
Grande nefas, fas ut redeat, fortasse necesse est.
An non petroleo similis quasi provocat ipsum
Indita materies armorum, incendia pacis
Ut sint, exiguo vel fine futura ferantur?
Hocce patrocinium belli civilis haberi
Forte potest, et in ore poëtae vox peregrina
Orbe novo resonans de labe, situque profecta
Ordinis antiqui: dabitur sed tempore justum
Pondus anhelanti tenebris immittere lumen.
Summe Deus, qui cuncta tenes, et cuncta renasci

Post ignem admotum facis expurgata ruiua,
Tolle quod indignum est natura, et sospite sensu
Humano! Pietatis opus ruat ira citato
Ad terras gressu, ne nos pereamus utrinque
Districtis gladiis fraterna caede cruenti.
Viscera nostra rigent etenim deserta calore,
Fenus et insanum dominatur ubique locorum
Sic, ut habere lupos in fratribus accidat ipsis,
Jura domus, patriae, libertatisque crepantes
Omnia dum violant, tutorum et nomine gaudent.

XIII. AD IOSEPHUM COSSAM

DOCTOREM REI DIPLOMATICAE ET PALEOGRAPHICAE.

DE DISCIPLINA STUDIORUM HUMANIORUM.

Cossa, vetustatis nodosa diplomata tritae,
Cui nihil officiunt, ne non penetrabilis oestro
Evadas nitidus vates sermone Latino;
Me tenet arguti spectàclum umbratile ludi
Dudum admirantem. Medicus, pater et medicorum
Pantocrates sibi naturam incurvare subactam
Omnibus articulis, nervisque adfectat, et optat;
Exilium, occasum, quaecumque et pessima rebus
Portendit studio antiquis, et honore sacratis.
Instrumenta necis nova sunt huic torva tuenti
Argumentum ingens fortunae fortis, ad artem
Ac opus imperii docte crudelibus armis.
Vis electrigenae miracula, monstra vapore
Serpere visa duce ac socio per aperta locorum,
Atque maris tractus, pictura recondita Solis,

Lux nocturna trahens jubar a livore paludis,
Ejus judicio, crassa caligine mundum,
Ponderibusque levant; et ad aethera denique tollent,
Angelus ut fiat vir summa sorte laborum.
Magnum illud medici molimen acumine mentis
Esse aliquid minus ingenio reverente pioque
Intra tecta domus, ad vitae simplicis usum,
Pugnat homo ad Musas proclivis et otia pacis.
Ridiculo medicus sapiens habet huncce, quod arte
Fretus Apollinea sibi constans, et sine fuco
Mitis, in obsequium vicini pronus, et ipse
Securus, quocumque stetit pede publica caussa,
Sensum laetitiae pascit sub corde perennem.
— Stulte! quid extundis peregrina, ferente pŏèsi,
Adde, et docta nimis, nîl tempestate secunda?
Cuncta subire vices proprias cum tempore debent:
Nec risum intuleris, si quando flere necesse est;
Nec facit ad taedas querimonia tetra jugales.
Nunc resipiscentis connubia plebis aguntur
Cum duce doctrina, cujus tutamine posthac
Omnia discurrent facili ratione per Orbem.
Migret in exilium quicumque dicaculus urget,
Et populum incessit probris: nam philosophorum
Multiplici afflatu, nunc cognitionibus auctus,
Esse potest aliquid magis utile, quam quod inani
Exeat e cura verborum, et laude loquendi
Sát levibus pensis, impensis grandibus empta.
Verba nocent digesta scholis sub fuste magistri,
Hausta pŏètarum libris infesta pudori
Plerumque ornantûm, quin et vix commoda justis
Imperiis, specie sub libertatis amata.
Pessum eat infamis ratio, mos, arsque docendi,

Congerit a teneris juvenum quae pectore nugas
Legibus abludens, movet atque libidinis aestum
Igniculis Latii de stirpe, penuque profectis.
I procul ipse, habitu vitae lascive pöëta!
Adnumerande procis, quorum est violare fidelis
Jura thori, prout fert intentu caeca voluptas. —
Haec medicus sine fine furens, sine moris habena
Humani, sapere adfectans hoc scilicet ipso
Quo defit: caeleste putat nam tangere culmen
Judicii terebra subtilis, qui tamen expers
Alitis ingenii fauces secus errat abyssi.
Principio humanum est errare: erravit et Adam,
Ut fieret prudens errore, metuque rediret
Tandem humilis, qui spe decrevit abire superbus,
Indocilisque Deo, Satana suadente per Hevam.
Quem bene poeniteat peccati, Numine laeso,
Dat quod homo dare nempe potest. Clementia caeli
Excipit hunc, vitae respergens rore salubri.
Humana ut prosit doctrina, pudica necesse est
Ut sit ad orsa sua, et naturae fida parenti,
Progressu Solis certos imitata rotatus,
Regressuque pari; ne sit per inania cursus,
Inter eam atque Deum forte et temeraria lucta.
Cedo tibi, medice! aegrotum sanare protervum
Circa virtutem remedî, mentemque medentis
Quî posses? Sanare scholis, est addere curam
Ingeniis ad pensa fidelibus, atque magistro
Devotis humili ratione, et corde parato,
Ad pluviam ut vellus, vel aquam sitiens ut arena.
Tantum proficimus quantum confidimus olli,
Qui docet ex cathedra, studiis sedet atque regundis.
Tollere qui volet hoc, natura excludet amorem,

Gratum animum, et quod habet schola traditione pater-
Anxia sedulitas, constantia, cura laborque num.
Assiduus, fidei sine vi, plerumque minoris
Penduntur, palmas incerti ferre secundas,
Exclusi primis dubii gravitate sinistra.
Pyxis ut incluso magnete, polumque notante
Dirigit Oceani media caligine naves,
Sic rerum immensa farragine fit Deus index,
Utilis ad numeros doctrinae sorte beata.
Nec scire ad minimum, sapere ad fastigia vitae est
Labilis in stadio, sed meta nobilis alta.
-Quorsum isthaec? rubicunde Theophile fronte genisque!
(Noster ait medicus sapiensque, gravisque loquendo).
Nos homines sumus, atque hominum virtute valere
Possumus, et volumus, defixi pergere recta,
Quandoquidem mens ipsa rapit. — Vertigine caeca
Ergo Chaos, quia recta via est, intrare licebit:
Sed remeare hilarem, communis et usibus aequum
Vitae cujus erit? dic, sodes, docte Galene,
Laetitia si vita caret superante dolores,
Si dat amaritiem viscosa scientia fructu,
Impediensque alas, ire interdicit ad astra.
Scilicet hoc donum, quod dicunt, lucis et aurae,
Poena videretur mortalibus indita. Quod si
Esse potest talis, stultum est incendere poenam
Supplicio contristati per acuta cerebri,
Et contristantis convictu cuncta molesto.
Sume videre, potens indagine vir, quid habemus
Humani circum et supra, simul intus, et extra.
Namque hodie obtinuit, violenter ad omnia ferri,
Atque vias cordis praecludere legis abusu.
Dic, in amicitiam sit ubique coire fidelem,

Et cultu ingenuam! dic quottus ad oscula fertur
Pectoris assensu? summis haerentia labris!
Vicinos odisse rei studioque, metuque
Privatae, mos est passim cum laude receptus
Prudentis, cautique viri: nec sanguinem, et aram
Communem facile videas hac peste carere.
Effugiunt rari, quaerendo sponte latebras
Coetibus exempti vulgaribus, ut cito pacem
Finitimi inveniant tumulorum, munere mortis.
Quae tandem haec vita est, quam produxisse timetur,
Quam nec amare licet, prohibente cohorte malorum?
Adde fel optatum doctrinae, vulnera sortis,
Quae tolerare docet nemo, vitare nefas est,
Crimen et inlatae sibi mortis nullibi turpe,
Nullibi despectum, sed honore et voce levatum
Fortis in extremis animi! Totum hocce profunda
Eruitur de mente, superbia quam sua vexat,
Reclamante schola nequidquam cordis aperti.
Hîc amo te, medice, ut teneam te. Tu mihi caute
Intendis laqueum, ut mecum mala discipulinae
(Ipse ut ais) veteris tollas radicitus. Omnes
Ast ego te adjuro per sacras, atque profanas
Res, ut pauca velis trepide resecare, novique
Quamminimum invehere huc, ubi se natura sub arte
Comit, ut hirsutus tu sub tonsore perito.
Jam si dura fuit, fieret praedura palaestra
Mentis inhumanae arbitrio, procul exule corde.
Sint aliunde igitur lascivi, sint studiosi
Nugarum, ingenio teretes sint, atque petulci
Cordibus avertant monitores: hos juvenili
Labe repurgatos pietas, pudor et decus, et vi
Sanabunt anni majorum exempla secutos.

Oblatret medicus, telisque sophismata jactans,
Experiatur opus formandi humaniter omnes
Diruere, et morem mutare, modumque docendi
Ad normam veterum : infecta re, castra movebit
Sponte suapte. Mali minus est grunnire procaci,
Crede mihi, in porco, scelerato quam sit in Orco. —

XIIII. AD AMEDAEUM PEYRONEM v. cl.

DE HUMILITATE.

Artibus, ac studiis Peyron celebrate magister,
Exuit utiliter mentem ratione superbam
Qui se substernens, atque inferioribus addens
Adjuvat exemplo virtutes luce minores.
Attamen adversum per tempus, resque paratas
Extra tecta domus, it plurima turba sequendo
Spes in honore, opibusque novas, oblita Penatûm.
Sed domus est radix, sine qua bona publica passim
Arescunt, nec habent sine more fideque tenorem
Humanum. Sic legis amor plerumque fit exul
Illius patriae, quae conclamata vigescit
Voce, sed exemplis majorum nullibi floret,
In fructu libertatis vel fallit amaro.
Erigimur ventis vescicae pelle tumentes,
Corde levi et nubes amplectimur agmine vitae
Cognatas, nec Sole calescimus usque rigentes.
Contra justitiae Solem densamus id umbrae
Quod valeat tenebris elidere, siqua velit lux
Infernis etiam de sedibus utilis esse.
Consulere optabant veteres sua sidera caelo:
More novo invectum est sed Tartara consulere imo.

Tartara vera tamen proprio sermone loquuntur,
Nempe ruinarum quacumque ex parte labores,
Absque Deo moderante vices hominum atque locorum.
Ædificatur ope ingenii quandoque rebellis
Legibus aeternis, quod mens mala diruit atrae
Afflatu invidiae, quam pejor opinio docta
Garrulitate scholae fovet, et transversa tuetur.
Multiplicata fames implendi in honore curules
Laude movet plures; trahimurque minaciter omnes
Ad lutulenta statu nos, dum meliora crepamus.
Quis status in fundo maris, unde exultat arena?
Deficiunt pisces errando, praeda futura
Piscantûm numero. Nos nostra perire videmus,
Atque domos ab avis veteres novitate domorum
Vel supplantari, vel deteriore teneri
Sorte, abludentes majorum moribus ut sint.
Una sit Italia haec! sed quomodo dicere talem
Possumus, oppidulis tot contendentibus inter
Se pro fortunis, pro nomine, denique pro spe,
Quae faciat fortes, ex invidiaque procaces?
Interpres libertatis mala semper ubique
Invidia est. Tolle hanc labem, laudabimus unam
Finibus Italiam, atque animis concordibus horum,
Qui cives delectantur, fratresqué vocari.
Migrat ad Americos spes haec, diversa rotatu
Sortis, ut a longis feliciter intervallis
Urbium, et agrorum sumat Respublica vires
Una, ingens, summis opibus terraque mariique,
Dissita ab invidia nimis exercente propinquos.
Mos erat antiquis, deducere rite colonos,
Esse gravis numero simul ac respublica cepît
(Civium abundando) vitiis consortibus uti.

Quod sapienter erat positum, vel lege coactum,
Arbitrio nunc permissum, prope more vetatur;
Nobilis abscessuque colonia desîit esse.
Ordo redundantes sic perfert agmine turbas,
Atque laborat ea, quam vellem dicere febrim,
Infirmat tumidas nimio quae sanguine venas.
Quae contra remedî vis, et medicina salutis?
Uti lanceola dubitant qui publica curant,
Pretextu libertatis, patriaeque tuendae
Jure suo. Sint ergo malis bona mixta per aevum,
Exsuperentque mala, incultis ceu gramen in arvis.
Hoc aliquam pacto consistere posse negamus
Libertate sacra patriam cum more, fideque.
Vivat! agat sospes respublica Regis amore!
Pulcrius hoc voto nihil est: sed compotem habere
Ejusdem Italiam hanc humilem sine partibus, usam
Pace pia et sancta, justis ubicumque tributis,
Laude magisterii studiorum, peste carentem
Invidiae, totum hoc superat miracula Fati.

XV. AD EUNDEM.

SERVITIUM.

DOMINUS — SERVUS.

D. I puer, adde foco ligna opportuna calori,
Importuna etiam, flamma superante caminum;
Dummodo perpetuo sit nos gaudere reflexu
Luminis, et tenebras inimicae avertere noctis.
Nullibi sint tenebrae; numquam intermissa beat lux,
Et cum luce calor. Vitam trahit ardor habendam
Corpore, donec eat solatum frigida membra,

S. Ergo frigus erat prius hic quam flamma fuisset:
Pars quota, dic sodes, vel qua virtute? — *D.* Tacendi.
S. Qui tacet ergo potest praestare loquentibus? —
D. Eja!
Pone modum dictis: parcum decet esse minorem,
Ante potestatem domini cohibentis habena.
Lux est in verbo. Potuere silentia longe
Et late cessare diu, premere aequor aquarum,
Ignibus et fatuis mutum pecus ejus obire;
Aèra cum stellis somno defixa tenere,
Et se miscentem terrarum sistere molem
Agmine formarum: sed nunc polus ardet uterque;
Cuncta strepunt; alatus homo fit, voce metallis
Implicita auditus, quacumque sit ire per Orbem.
Tollitur in caelum, spatiisque receptus amicis
Sperat posse brevi rubicundam invadere Lunam.
S. Ergo manere infra, curare negotia, proli
Advigilare suae, requiescere denique lecto
Esse nefas proprio debebit? Non ego fuste,
Ut credam, facies, Here mi: praestantibus istis
Portentis, patriae, ac domui quid fiet? amabo.
Num peregrina focis erit utraque semper ubique?
Num nova naturae fiet copulatio nobis,
Atque ignota tibi? Certum est nos esse caducos,
Rebus item nostris breviores, aedibus, atque
Arboribus, quales serere est, ut in altera vivant
Secula, venturis fructusque nepotibus edant.
Ardorem compesce animi, ne te tua laedat
Flamma, nocens aliis a lumine nempe reflexo.
Nos circumscriptos spatio telluris, et annis
Adfectare Dei nutum super omne creatum,
Deserta incolumes peragrare, eademque subacta

Tradere culturae, cur? quomodo? qua vice rerum
Atque operum utiliter poterit fieri, atque teneri?
Respice, quaeso, domum, atque redi quo cura, laborque
Sint minus ingrati, majora capessere parcens
Terrarum magno e gyro, simul aequoris undis.
Me pudet interius, jam nec piget esse minoris
Doctrinae puerum, quam tu novitate secutus
Admiranda quidem, sed vix laudabilis usus
Rerum operumque, modus si more abludat honesto.
Flumina concurrant lutulenta; quid ore bibentes
Proficient ad opus vitae cum fonte coacti
Deglutire lutum? Premit insatiata sciendi,
Dicam equidem, rabies, nam morsu cuncta lacessit,
Cuncta ardore replet; nec jam sinit ire quietos
Agricolas ipsos, aperire scientia sulcum
Quos docet arte nova, sulcoque includere semen.
Nunquam erit ergo pios mores aetate Noäci
Suspicere, et foedus sanctum cum sorte domorum,
Postquam effluxerunt armenta salutis ab Arca?
Nos minimi sumus, et seri nimis ordine ab illo
Temporis ac rerum, dicamus et, iride pacis.
Nec tamen est tutum petere, aut aliunde medelam
Exspectare, pia sine talis origine gentis,
Atque repercussa specie, formaque virorum.
Nunc homo, quod fuit, est; ubicumque sit, optat habere
Uxorem, et gnatos, celebrare domestica tecta
Post opus, et curas perituraе Sole diei,
Ut redeat melior, mercede laboris in annum
Quemque data, juxta sudorem denique vultus.
Lex est haec constans mortalibus, intima sensu,
Utilis obsequioque viri, quicumque praeire
Convictu domuum fundandam gestit ad urbem.

Ecce in servitio versamur, ab officiorum
Conflictu cum jure paris: quo cedat oportet
Viribus editior, justumque rependat honorem
Prudenti, qui sit custos, legumque minister.
Magna haec servitii res est, dejecta fideli
Principio, mutata modis, terebrata medullis
Tempus ad hoc nostrum, dominorum (dicere fas est)
Vel pravo ingenio, vel commoditatis abusu.
Imperium sollemne Crucis Deus attulit ultor
Hydrarum, quae multiplices genus omne vorabant
Servorum, reges quos fecit ab arbore pendens.
Jam scio quid sit amor, pro fratre animamque juvando
Ponere; quandoquidem ad mortem nos Christus amavit.
Exemplum ille dedit dominantibus, atque locatis
Servitio, ut fiant fratres, praestante domorum
Interiore fide titulis ab honore quibusque,
Vel censu, quem sors dat, et aufert caeca rotando.
Quanta tamen rabies conata est, Orbe redempto,
Decretum libertatis dare saepe refixum?
Sed Deus exemplo supereminet, atque coronis
Insistit ligno, quo consecrentur in aevum.
Crux ea sic posita edocuit quod maximum, et unum
Justitia est: *humiles evadere*, regnet ut aequum.
Nos humiles gerere, et conjungere possumus omnes
Officia, efferri pariter non possumus omnes.
In summo non est paritas: natura nec effert
Hosce pares. Est ingenio qui praestet, et est qui
Viribus excedat passim: quid fiet utrique,
Si quandoque velint urbana pace coire, et
Vivere concordes fortunae disparis usu?
Scilicet injussos spoliare quod esse superbum
Jure potest, et servitio exornare modesto

Omne quod est vita fraternum in nomine Christi.
Haec summa est, ut sit servorum fida voluntas
In dominos, et sit dominorum tuta potestas.
Si pacis turbetur opus, si desit honestas
Servitii, non jam Christo vel moribus Ejus
A Cruce compositis, vitio sed vertite vobis,
Gens mala consiliis! cujus vix tertius heres
Tanget, et amittet capitale quod asse vocatur;
Nî prius ignis edax voret, et spem seminis urat.[1]
Dic ubi non constet vero, decedere stirpes
Urbibus, ac domibus plerumque teredine luxus,
Proxime ut arboreae minuuntur corpora silvae
Vel carie interius, hederarum subdita vel vi?
Sic grassata lues vitiorum, adversus iniquos
A sobole ad sobolem, fortunas abstulit omnes;
Nulli et sunt hodie, qui jam tenuere curules
Depositi de sede potentûm, Bella geruntur,
Servorum nomen pellatur ut Orbe ab utroque:
Quod libertatem perimit sed restat utrinque,
Declinare crucem nempe, et gaudere paratis
Nullo fine modi, sic invidiamque movendo
Plebis, ut incipiat rationes velle videre
Dilapidantis opes patrimonî, denique et uti
In commune bonis, stultus quae perdit habendo.
Justifica hîc plebs est; dominam fecere ruinae:
Quodque rapinarum damnatur nomine, fit jus,
Quod tulit innasci sine fine superba libido
Judiciis tacitis non elapsura popelli.
His ab originibus civilia bella fuerunt,

[1] *Devorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes et semen eorum a filiis hominum.* (Psal. XX. v. 10-11.)

Quae fovet, atque praeit rubicundi audacia pilei
Nobilis a Bruto, rediviva quibuslibet oris,
Jure ut mutato, mutet latus Orbis avarus.
Sed male dispersum proceres si sponte dedissent
Jam non servitio Satanae, sed plebis amori
Damna rependentes fortunae hostilis eidem,
Nunc etiam reges faceret Crux inter habentes
Rem, decus, et famam, servis fautoribus ipsis.
Ad plateas detrusa fides migravit ab aris:
Et (quod sit mirum) praebet fallentibus escam
Fallendi, nusquam deterrita quottidianis
Fraudibus, illicito sumens a fenore vires.
Tanti est ullius fidei quod certat habere
In terris cultum atque locum, meritoque sacrari!
Panis enim non est solus (prout scimus) alendo.
Demere ligna foco liceat nunc, atque tumorem
Detrahere inde tibi, invitus cui servio, postquam
Ablegans mandata Dei, cava nubila tractas,
Fulmen ut elicias, quod te, tua destruat, atque
Condat humo. Sed honesta mihi me missio reddet,
Sospitem et incolumem, servire ubicumque paratum
Sit modus officiis, et juris norma sit aequum.
Donec despectu virtutes luce minutae
Vel sint, vel nihili cum relligione putentur,
Servus apud dominum locupletem semper habebit
Materiem detrectandae, causamque catenae.
Jamque catena omnis non fit manifesta trahente,
Ulla sed interius recruduit acta dolore
Ante rebellantes dominos Christoque Deoque.
Intulit Hic pacem praeceptis lege duobus
Fundatam breviter: mores dare lege subactos
Prorsus ab arbitrio est hominum servire volentûm

Servis, libertas ut sit quod debeat esse,
Officiis nempe alternis celebrata, manensque.
Audio mane recens asinorum efferre ruditus
Lumen ab aurora passim salvere jubentûm.
Vive, valeque diu! tibi jus commune resigno,
Donec contingat, te suffragante metipso,
Me fieri dominum: de libertate locuti
Nam quas proponunt, subeunt cum fasce secures,
Et grex servorum sine fasce securiger exit.

XVII. AD

PAULLUM HONORATUM VIGLIANIUM v. cl.

DE EXITIO DOMORUM.

Optime consilio, quia consiliantibus istis
Philosophis in sede cares, quos cura domorum
Vel tangit minime, vel habetur forte minoris
Quam par sit, dubito numeris tibi tempus ademptum
Detrahere Aonidum: sed grande necesse loquendi
Urget, dum plures, coram gravitate futuri,
Haerentes lingua, atque oculis, nunc pessima rerum
Exspectant, ut sint nova fata, novusque sit ordo
Publicus, a domibus disjectis, atque profundo
Demersis. Agitur de re, quae summa videri
Conventu humano possit: tamen ante periclûm
Luditur; et pueros abducere amore domorum
Fit sollemne scholis, patriae pro nomine vano.
Sunt equidem ingenii praestantes viribus ulli,
Qui patriam inveniunt, quacumque sit utile ferri;
Sed rara haec hominum stirps est, et moribus exlex.

Nos commune bonum debemus quaerere, et auctam
Doctrina ac studio, tectis includere sortem.
Consistunt urbes domibus: junctura levatur
Urbium; et agrorum nullus est cultus, ubi omnes
Esse peregrini discant, et habere penates
Usque novos, spreta natalis origine nidi.
Magnum opus est hodie (quod sit dixisse gigantûm)
Telegrafi illecebris obsistere, itemque vaporis
Praecipitis terra, atque mari, ne deleat usus,
Quottidiana vagus per tempora, maximum id! esse
Gnatos sub patribus, cives et in arce domorum
Doctrina imbutos socia pietate, priusquam
In vulgus liceat prodire, forumque tenere.
  Multiplicantur opes, non multiplicantur amoris
Vincula, perpetuo motu rerumque, hominumque;
Nec sine amore potest consistere publicus ordo,
Ejus et est radix privatus ubique rei mos
Curandae. Nec grammatica hac moderaminis ulla
Est potior; quae naturae sit habenda palaestra,
Si natura jubet civili vivere nodo.
Quod si quis sylvas, et iniquam diligat artem
Humani aucupii, positis in fenore nummis,
Praeparet ipse locum sibi, sit domibusque remotus,
Pax ubi regnat amans fidei, nec sustinet hostes
Prosperitate lucri satis inclementer avaros,
Pejus et audentes, male conniventibus ipsis
Regali solio cunctantibus, inter et arma
Securis, etiam turba plaudente. Reducti
Sed sapientis erit, monitos dare voce, perîclis
Oblatrare, ad opus vitae revocare modestae,
Respicere atque domos, utcumque ferantur ad illud
Exitium, incauti cui suffragantur, habenas

Dum laxant, barathrum ut subeant praesentia quaeque,
Et spe praecipiant meliora renata ruinis.

XVIII. AD ALOISIUM CIBRARIUM com. v. cl.

DE CURA CONSCIENTIAE.

Cibrari, cujus studiis augetur Etruscae
(Quis speraret adhuc hîc?) linguae munda supellex
Nominibus clausis intra penetralia regum,
Ecce tibi nomen quod vatis nulla facultas
Possit ad hexametri normam componere versus.
Nempe ego subtilis super hoc, sic esse putavi,
Conscia quod sibi mens faciendi debeat esse
Sollicita, efferri nec eandem nomine vano.
Est odor, est meritum praestans in rebus agendis,
Et pretium meriti, consortibus hîc ubi vita est
Perversis, quorum mos contra verba repugnat.
Cibrari, quoties mihi contigit inter amaras
Corticibus salices offendere stagna silentis
Interius lymphae, speculoque optabilis extra,
Conscia mens toties ab imagine visa fidelis
Est recti, et justi, quin et virtute decori.
Quam licet illimes quasi dinumerare lapillos
Injectos fundo, viridis prope gramina musci!
Vir probus, atque sagax se sic habet, aestimat et se
Sedulitate pari explorans, servatque tenorem
Doctrinae ac vitae, sibi soli incommodus intus,
Si quando desideriis desciscat ab aequo.
Philosophus ferat ante alios quod nobile signum
Sit, cui se adjungant cupientes vivere honeste:
Conscia mens tamen antevolat, magnumque tuetur

Praeceptum, quo non liceat vel philosophorum
Ulli, vel minimo gaudentûm munere vitae,
Dicere eos aliud, sollemniter aedificando
Culmina, longe aliud facere et prudenter in umbra.
Ceu disturbatos latices fert aequor aquosum
Interdum jactu lapidis, vel turbine arenae,
Sic animus, prave admissis patiatur oportet,
Contra exspectatum, vim dissimulanter agentûm.
Sed qui fraudatur speculo praesente, laborat
Ne se comminuat, late trepidantibus undis;
Colligit intus opes, sibi pectoris arce cavendo,
Ne capiat damni quid limpida vocis imago,
Quae vult audiri, fundoque emergere ab imo.
Sunt a justitia species quas possit amare,
Et colere, exemplis dum restituatur habenda.
Haud aliter cursu qui tendunt pergere recta,
Passibus immoti librant se, donec aperta
Sit via, per salebras impervia quae fuit ante.
Longa mora, et praeter solitum damnosa fit his, qui
Pictura vitae nunc delectantur honestae,
Ceu mulier roseo fucata colore genarum.
Ex aquilone tamen fas est optare serenum
Quo pateat, vivos hic esse, et prospere haberi,
Jam non ut rebus nos, sed res denique nobis
Subijciamus acri despectu, et mente fideli,
Judiciis hominum tribuentes ponderis hilum,
Sed grave judicium Dominique, Deique timentes.
Qui secum instituat sic vivere pene tribunal
Gestando interius morumque, operumque suorum,
Hic habitum disciplinae formatus ad unguem
Induet; et sensus praestans ab acumine recti,
Sanus odorabit quid relligione salubre

Vel tecto, consistit ibi mens conscia moris
Majorum, atque ideo recti, quia sponte recepta
Protulit argumenta suae virtutis in aevum.
Cibrari, munus summum mens conscia recti est
A patribus per avos, quod continet omnia dona,
Cor humile accedat si, relligioque fidelis.
Haec arx, haec acies (si plures ordine juncti
Conveniant) jaculis quam non tormenta striata,
Non operum ingeniis vis exitiosa quibusque
Arte nova, vel disjiciet, vel destruet unquam:
Vivit at obstando, contraque adversa vigescit.

XVIIII.

AD ANTONIUM PANIZZIUM v. eruditiss.

PRAEFECTUM EMERITUM MAGNI MUSAEI BRITANNICI.

— *Jus datum sceleri.* —

Panizzi, novitate viae se dissipat Orbis
In diversa, capi nexu quia nec velit uno
Ulterius, nec possit, ope et levitate vaporis.
Campis, non animis confuso fine cohaerent
Plerumque indigenae varia regione locorum.
Tunc male tecta subit vis artibus usa quibusque,
Quae facile inducant somnum renuentibus, ut sint
Ad libitum dociles agitari, et sumere partes
Fortunae volucris, sed non virtutis, ab illa
Tam discordantis quam lux a nocte profunda.
Propterea fit falsa quies, sub nomine pacis
Quae circumfertur, posita et vigilare sub armis
Jam non restituit rem, sed mala publica palpat,
Otia namque fovet teterrima milite vappa.

Exit ab opposito tunc, contra spemque fidemque,
Improvisa salus: gliscens divinitus Ira
Nam facie sceleris revocat jus, Orbe renato.
Qualibus at gradibus vel dissimulata, vel istum
Migret ad effectum crudeliter ense recluso,
Isaias docuit Thecuitis filius Amos.
Illum produxit vivum sermone prophetam
Qui Deus Oseae praecepit, pellice ducta [1]
Uxore, obscuros thalamo sibi condere gnatos,
Quos sibi devotos faciat clarescere regno.
Nam matronarum, sine lege pudoris, ab usu
Pejor erat ratio tunc excusante lupanar.
Quaeso qua rerum ambage, aut qua mole gravamur
Nunc operum, vitiis manifestis, dicere ne sit
Conditione pari debere optare ruinam
Nos, pharisaeorum cumulata labe novorum?
Plecte Deus, plecte indignos clementer haberi!
Nam tua perverti sensu mysteria nobis
Sancta sacrata fuit, nulla formidine poenae,
Quae manet haerentes vacui speciebus honoris.
Observata retro nos ad Natalia Christi
Fine recursamus certo cujuslibet anni;
Instructosque penu, strenis et pinguibus auctos
Ad Reparatoris sanctum Praesepe venire est,
Praeter cor humile, argumentum omne ferentes
Laetitiae, et pacis, quae non sinit esse superbos.
Nos male morati vestimus Paschate tempus
Mobile festivo, serie praeeunte dierum
Qua referatur opus spectaclo lugubre Christi

[1] *Vade sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum; quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* (Oseae C. I. v. 2.)

Funereo ritu et cantu, strepituque flagelli
Qui matutinis tenebrarum consuat horam.
Sed quis suscepit Christum prius aure, animosque
Demisit, monitus pia quid mysteria claudant?
Rara fides hodie verbis adhibetur: ad aram
Rarior accessus meditantúm est velle medelam,
Grandibus exemplis sapienter desipiendo, et
Se dare sponte Cruci Divinum pone Magistrum.
Occupat unda levis turbae (quae dicitur esse
Christicôlum, lustralis aquae quia nata sàtegit)
Atria templorum, concursu altaria pulsat,
Seque ministeriis etiam temeraria miscet,
Pascere laeta oculos intentos lumine scenae,
Et sub sacricolis vix ne vix moesta tragoedis.
Pene rebellantem stomachum ratione proterva
Admovet ad mensam, qua Christus amore fit esca,
Potus et annali vice suscipientibus illum.
Inde refert malesana nihil, nihiloque quod addas
Judicium infelix poenae immortalis ad imum.
An non haec eadem mala deplorata fuerunt
Ætate antiqua templo interiore, forisque?
An non sunt visi praestare tenentibus aulam,
Et penetrale Dei Samaritae luce maligna,
Sed non perversa virtute modoque videndi?
Romanum Christum templo decet esse; sed ejus
Non haeret muris divinae Roma salutis.
Non amo, nec cupio, quo Relligionis avitae
Amota Cathedra, se destruat Itala tellus,
Et minimi fiat gaza exspoliata sacrorum.
Sed propior Deus ultor erit, pietate flagelli
Qui castigatam breviter det, depopulatis
Rebus, ut ad vivum perculsam rursus amico

Numine respiciat, secumque habitare resumat.
Nunc locus est Satanae: tenebrarum tristis it hora.
Cunctari stultum est ubi sunt animosa manenti
Omnia: jamque sonat fragor invadentis Averni.
Troja renascetur sed ab hora illustrior illa.

XX. AD

JOSEPHUM IGNATIUM MONTANARIUM reth.

NOVITAS DISCIPLINAE.

Ignati, cui deberi cum laude fatemur,
Si sonat ex cathedra quid adhuc sollemne virili
Libertate, scholae quo distineantur ab usu
Disciplînarum, quae praeter honesta feruntur,
Inter anhelantes magna est dissensio rebus
Usque praeire novis, cunctantes atque vetustis
Sic, ut tardigradi videantur inaniter esse,
Cuncta rapit secum dum praeceps motibus aetas.
Tota est in summis hodie doctrina labellis,
Mente vel a memori puerorum, donec agatur
Inter discipulos res, defixumque magistrum
Usque in eo, statuas ut mobilitate stupendas
Compingat, vocem insinúans virtute palestrae.
Nam statuam dico, qui se male cordis in alis
Sustentet, captu velit et maturius uti
Quam sit opus, quam vita ferat puerilis ab ortu.
Formari cor enim vult antea, quod fuit ante
Natura effictum, ut gracilis mens exeat annis
Utilis a septem, tentetque humana volatu.
Id mihi semper erit memorandum, quo Ciceronis
Judicium subîit Sallustius arte loquendi,

Scribendique: — *virum* nosco te (Tullius inquit)
Non *hominem.* — Quisnam est, haec qui justissima verba
Proferat, expendat, faciat quoque pondus habere
Per cathedras ab eo, Seneca qui teste, fuisset
Ingenium quod solum habuit par culminis ejus
Roma potens? Medicina animi sic philosophia est,
Nec vis eripiens animos sibi, denique et urbe
Attonitos statuens cives, habituque severos.
Attamen it Cicero despectus! fiat aperta
Nunc etiam ut veterum sententia: cum Cicerone
Stare domum, ac patriam, decus, et quodcumque salute
Publicum, et antiquum est, sine sed Cicerone perire.
Sensus item recti perit, et (quod amare necesse,
Et colere est rebus civilibus) utile honesto
Nunquam disjunctum, nusquam pugnare paratum.
Sed novitas malefida via, malesana superbo
Consilio ruit omne vetus, radicitus aufert
Et discîplinam, exempli moderamine nullo,
Quod sit ab annosis aetate, fideque magistris.
Nec minus est novitas in eo reprobanda, quod ut sit
Æquales inter par dos, animique facultas,
Cogitur ingenium mediocribus ire subactum:
Sic et quod plures cupiunt, non quod velit unus,
Optatur, vi judicii proclivis ad imum,
Nobilis arbitrii nec libertate salubri.
Quid, quod apud proceres, decorat quos publica rerum
Cura ministeriis, res est pro more recepta,
Ablegare Deum civili lege, caputque
Ire potestatis plebeja condere in ulva,
Et titulum imperii populari sumere ab aura?
Pessum sacra dare, et thalami confundere jura
Concubitu pecudum; patriam pietate carentem

Absque domo, amplecti, ceu pro Junone figuram
Nubis? Id omne fide abludens, praeludit abysso
Ejus in ore Chaos, quo cuncta educta fuerunt
Voce, et amore Dei bona decernentis Adamo.
Ignati, haec novitas novitatum est Orbe malarum,
Pessima quas novitas studiorum explere videtur;
Ut jactura ratis, quae publica dicitur, ulla
Sit sine spe remedî in longos lacrymabilis annos.
  Esse subalpinus Prosper gaudebat ab aevo
Discîplinarum prope dispensator earum,
Queis humana vigent studia, et laus grata Camoenis.
Invasit novitas animos in pace disertos,
Turbavitque vices proprias operum atque dierum,
Quod fuit immotum prius, et mutabile fecit,
Proposito urgendi, quidquid vetus esset, ad Orcum.
Ambitione facem praecox doctrina superbis
Subdidit, ut fieret cathedris nova lux, novus ordo
In novitate scholae; Musasque fugavit ineptas
Ensibus et jaculis tractandis, omnia triste
Ad bellum referens, postliminiumque reorum.
Otia docta libris, eventu pensa probata
Sustulit, et curas, cumulo quas dixit aniles,
Circa delectum verborum, artemque loquendi.
Exemplis veterum succensuit, inque lucerna
Usum olei mutavit, agens praevertere donum
Palladis, et melius vigilantibus edere lumen.
Prosper inexpertus novitatis, sed tamen audax
Fidere petroleo, male dissiliente lucerna
Cum vitreo praegnante globo, violatus, et ustus
Fert capite, atque oculis quod non timuisset habere
Lucis ab invento celebri per tecta domorum.
Nunc ardet cathedris ea lux sumentibus infra,

Unde sit in tenebris compendia doctrinarum
Captare, ut ranas manifestas lumine taedae.
Edocti caveant! exemplo Prosper acerbo
Nam monet, antiquo discedere more, perîcli
Esse gravis rem, qua possint evadere caeci,
Ut se dent aliis, armentum vile, regendos.
Sic nec sunt homines, nec erit sibi conscius ullus
Ipse suae virtutis adhuc, novitate sinistra,
Accepto interius naturae vulnere ab ipsis
Unguiculis, fiet quod mox ab origine tristi
Ulcus edax animi fastidia lucis alentis,
Atque, loco remedî, meditantis inire sepulcrum.

PINAX.

Extremam hanc vocem concede laboribus acto,
Musa, mihi ad finem vitae cum laude palaestrae
Difficilis, querulos super annis tristibus aevi
Dimittam ut monitos, esse in ratione superba
Ingens peccatum, quo pleraque laeva feruntur
Inter mortales Caeloque, Deoque minores.
Excidiis agitur justi sub nomine belli:
Luxurie petimus corrumpere quidquid ubique est
Sobrietate pudicitiae virtutibus aptum.
Oblimare Dei Verbum quod ab ore profectum est,
Aggredimur, Salomone magis sapere atque putamus.
Cornua conserimus certando grex macilentus
Invidia, pastoris egens, qui denique virga
Arceat a stimulis irae capitalis ad imum
Pugnae, quae generi paret omni fata, rogumque.
Est in petrolei quaedam clementia flammis,

Si quid respicimus longe Sodomam, atque Gomorrham;
Namque lacu possent haud uno incendia magna
Tollere, et a facie sontes abradere terrae.
Quaeso, quis tantum superaddidit ignis amorem
Bellorum furiis nunquam antea talibus? Æquas
Quisnam instigavit sortes optare bonorum,
Jura nóva ut fierent, nisi vos, procerum scelus, audax
Insultare palam miserorum pauperiei,
Proposita ante oculos, et commoditate negata,
Cujus opum insanus vos debilitavit abusus?
Dicere quis potuit sub iniqua sorte coacto
Vivere, et exstingui: — Locuples ego currubus utor,
Veste palatina incedo, convivia pono;
Spectâclis nocturnus agens indulgeo somnis
Ad Solem medium. Totum hoc fastidia vitae
Ut mihi parturiat, tua refert, namque alimento est
Ex operae pretio tibi, quod de qualibet arte
Ipse, meique pares consumere pergimus ultro. —
Mirifica haec verbis: sed sibilus inde sequetur
Invidia populi, prope vulnera sobrietatis
Contemplantis in hoc, quo luxus abundat, et urit
Splendore officiens, velut igneus intuitu Sol.
Invidia haec odium breviter fiet: nec habebit
Unde sibi caveat dives discinctus emendo
Opprobria, obsequiis mendacibus ordine ab omni.
Exemplis regitur plebs: et quod opinio chartis
Dissipat in vulgus per quottidiana legendis
Otia, mutabit nihil heu! de rebus hiulcis
Absque fide recti, semperque a fraude caducis.
  Ergo dediscant proceres dare verba diserta
Pro nitido exemplo virtutis ubique colendae,
Sed magis, et melius coetus vulgaris in ore.

Quod si consulto vim, perfidiamque professi
Contra naturam, se nobilitate levare,
Diligere atque fimum nimium socialiter optent,
Magna lues erit in populo plerumque rebelli,
Insanos proceres et conculcare parato,
Prout hî naturam conculcant laedere matrem
Audentes, nihil et dubitantes dicere eidem:
— Tu nos divisos posuisti montibus altis,
Quin et desertis, et tractu immanibus undis.
Nos diversa situ tua proles, more, colore,
Ingenio, lingua, turbatis finibus, uti
Una omnes volumus convictu, et nomine fratrum, —
Tollantur fines: subeat miscela nepotum;
Fiant moeteci, totumque vagata per Orbem
Afficiat vario venus una furore creandi
Mortales utriusque plagae in commune locorum.
Quae facies Mundi, quis erit stupor inter habentes
Omnia, praeter eam divinae particulam aurae,
Quae fluit a sensu, vel sensum informat herilem,
Supra membra modis servilia, materiemque?
Quis caecus super his volet esse, et certa negare
Naufragia humani generis si tenditur ultra?
Nam fine exiguo Chaos urget, hiatque barathro,
Philosophos ostendat ut antea turpiter ausos
Illud idem, penitus confusos clade jacere,
Justitiae aeternae in tenebris sollemne trophoeum.

FRANCISCUS FERRUCCIUS.

Extremum ad finem vitae mortalis abundo
Justitiae sensu liberrimus arte pŏèta.
Te quoque, Ferrucci Francisce, amplector amore,
Instinctu et fidei, magis et virtutis honore.
Cedat vox populi, conserta et fabula cedat
Historiis. Ego te qualem tua protulit aetas
Temporibus patriae miseris, Francisce, reponam.
Vera locuturus, laudes indignor eorum
Qui lingua, calamoque domestica facta laborant,
Putide adulantes, facie mutare licenter.
Florentinorum respublica, civibus auctis
Divitiarum opibus quae, quantaque labe fuisset,
Dicere nîl opus est perituraе nomine vano
Libertatis: apud paucos pietate vigebant
Ejus enim igniculi, quorum cum voce sepulta
Aut audita parum fuit, aut delusa voluntas.
Admonuere aliqui praesens gravitate perîclum
Robore ab Hispano, circumsistentibus armis.
Aurea libertas trepidabat habere repulsam
Ante bonis partas res, et patrimonia lauto
Cum censu; cecidit sors atque favore sinistra,
Ipsa favens lucris quibus esset cura tuendis,
Pascendo spem fortunae evadentis ab unda
Depopulantûm, ipsam involvit quae vortĭce Romam.
Paupertas igitur, quae larva terret habentes,
Mentibus offecit procerum, qui sede sedendo
Publica curantes, ejus sensere timorem.
Antea consilio Soderinius hospes agebat

Romae, ne damnum caperent privata bonorum;
Et minus audiri ceperunt voce canentes:
« Non bene pro toto libertas venditur auro. »
Derivata mali labes hinc fluxit ad omnes,
Qui cum merce sua timuere negotia rerum
Perdere; perniciem cumque obsidione paventes,
Securi libertatis posuere ruinam
Principem apud cives, quae deterreret ab ausis.
Accitus Malatesta fuit, trepidantibus auctor
Qui fieret pacis, pro rerum urgente salute,
Consilio et procerum quasi dux in honore praeesset.
Interea fervebat opus quo pulsa juventus,
(Ut solet) aetatis, violenti et turbine sensus,
Dissidio insidias cautelae eludere iniquae
Proposuere palam sibi, libertatis amore.
Italia ex omni conducti, sponte faventis
Militiae in speciem, valideque obsistere certi
Accessere ducis Ferruccii ad jussa parati,
Instructaque acie petiere externa, tuendo
Quidquid erat ditione manens, nec ab hoste subactum,
Posthabita libertatis ratione labantis
Interius. Ramis ita quercus pandit adhuc se,
Donec eat pessum, perimente medullitus icta
Labe, ruatque sua mole, aut excisa securi.
Sic proceres visi imperio parere suorum,
Quin et mandatis ad summam accedere belli,
Arma procul regere, et praesumere mente pericla,
Proposito haerentes Malatestae intus agebant,
Salva ut re propria, fortunae cetera abirent
Concessa, heu! fatis nimium constanter acerbis.
Procedunt densa Hispani caligine, nubes
Ut contra Solem jam libertate cadentem.

Pulvere confusi, muros minitanter ad urbis,
Excidium capitale parant pugnantibus intra
Paucis, queis animum non defecisse, patebat.
Ducitur interea Mutinus principe coram
Consilio, qui testatur simul, ingruere hostes
Agmine terribiles, vastando et cuncta superbos.
Perfidus id Malatesta negat, verumque refutans
Arguit hunc falsi dux, afficit atque repulsa.
Damna futura videns Mutinus at ille recedit
Sollicitus veteris de fato instante leonis,
Tergo expilatus qui debeat ultima ferre,
Deminui et cauda rectorum fraude, manuque.
Moenibus a patriis sed subdola mens Malatestae
Robur opum ductu Ferrucci arcere volentis,
Voti compos habet quod spectat; dissita pubes
Hostium ut insidiis male circumventa periret.
Interius cives agitantur imagine belli,
Obsidione pati metuentes summa malorum
Viribus imparibus: nec ab hoste premente salutem
Jam sperare licet, rerum in praesente perîclo.
Noctes atque dies vigilat custodia muris
Addita, congressu armorum plerumque et iniquo
Deficiunt animi, numeroque exterrita virtus
Hostiles feritate minas, praedamque sequacem
Declinare putat melius patriaeque, sibique.
Adjuvat hanc mentem Malatesta, et turpe patratum
Deditionis habet proceres in sede faventes.
  Pistorî juga, post Pisas, Lucamque relictas,
A valle ad vallem adfectat longinqua juventus,
Coram condensis Hispani roboris infra
Agminibus, libertatem generosa tuendo,
Contra Pontificis mentem, qui civis et idem,

Obluctabatur, ne fata recentia Romae
Mater ab Hispanis urbs depopulata subiret.
Sors vetat esse omnes heroas; fulmine adacto
Armorum tamen occurrunt feliciter hosti
Praelia miscentes, numero exiguique fatigant
Praedonum circumstantes ubicumque catervas.
Caede cadunt plures, cadit ipse Aurantius ictu
Liventis plumbi ferrata ab arundine missi.
Sternitur ille, fuga socii corpusque relinquunt
Prostratum campo, spoliandum insignibus armis.
Littera delituit secus atrum sanguine vulnus,
Quae manifesta legi potuit, totumque revelans
Infamis facinus Malatestae, vulnerat aures
Adstantûm, ducis et Ferruccî exasperat iram.
Non dare terga retro certum est, neque cedere pugna,
Haud dubiam et mortem pro libertate subire.
— Debeo me patriae — dixit Ferruccius auctor
Consilii, quod sponte duces gravitate minores
Rebus in angustis ejus tulit ire sequaces.
Flamma velut saliens alimentis ultima summis
Nativo splendore magis se subjicit, ardor
Omnibus increvit, nec pectore conditus imo est.
Ara videbatur tanta in virtute deesse
Sacrificalis: habet sed Gaviniana recessum
Sublimem, tentare jugis qui suadeat ausu
Supremo sortem armorum, quacumque cadant res.
Riserunt hostes, qui proditione recepta
Urbanos intra muros, jactanter agebant
Exterius: risit Calaber Maramaldus ab hoste
Hispano propior, praedo qui maximus, ibat.
Fata retardari possunt, sed debita sorti
Tandem aliquando palam fieri cum tempore debent.

Quanta minis, quas aerumnas, quae damna, paratis
Vi majore malis, Ferruccî pertulit agmen,
Dicere nîl moror hîc; patet historiisque supremus
Libertatis agon, sunt et momenta legendo
Tristia: quandoquidem caelo dignissima virtus
Hîc iterum apparet superanti subdita culpae.
Pauper opum belli, loca tentat pervia nullis
Auxiliis Franciscus agens sublimiter agmen
Huc, ubi ferre pedes licet, et sperare quid ultra
Audendum summo: sed vi Maramaldus abundans
Exsuperat, breviterque jugum tenet hîc, ubi vires
Esse pares pugna prohibent angusta viarum.
Concurrunt hinc inde viri; confligitur: infra
Et supra alternis certatur caedibus horum.
Ardua montis habet Maramaldus, et obstat ab alto.
Gaviniana nihil trepidos intrare ruendo
Accipit, atque stupet, paucorum fortia facta
Cominus enumerans ipsius in ore plateae.
Sed numero potiore cadunt; Ferruccius et dux
Æger anhelus, apud prostratum morte manîplum,
Deficit. Is trahitur captivus mox Maramaldi
Ante pedes, victi signo paeeunte leonis.
Suspicit hunc, alto suspiria pectore et haurit
Inter victores dux, qui prope mortuus ira
Proditionis adhuc ardet, similisque minanti
Fulminat ex oculis quem concipit igne furorem.
Proposito indomitum Maramaldus conficit ictu
Ensis, ad hunc usum caeca feritate petiti.
Vile voluptatis facinus gaudentis in armis
Consummare nefas cumulo quod diruat omnem
Spem libertatis Ferruccî in caede peremptae!
Advolat, et portas urbis vox nuncia pulsat

Magnanimi herois sublati fine cruento.
Quis luctus fuit inde domi, qui publicus esse
Debuit, obsequio tantae virtutis ademptae.
A Volaterrarum quae moenibus edita primum,
Venit ad hunc finem Maramaldi excisa furore?
Unusquisque cavens damnum sibi pejus ab ipsa
Obsidione, minus timuit quaecumque futura,
Quam libertatem positis amittere belli
Consiliis. Jacet ille procul: nec ab aede sacrata
Susceptum corpus fert Gaviniana videre.
Ceu poena affectum capitali, sistere humatum
Exterius, quod mox ignoraretur, arena
Forte superjecta, nullo indicioque notata.
Invisus perlit Ferruccius omnibus illis,
Qui libertati vim praeposuere bonorum,
Servari et salvam pactis tenuere receptis.
Oblatrare canes ad lunam visa fuerunt
Ingenia, et pietas patriae submota recessit.
Laudatus Clemens est nomine Septimus, auctor
Compositae pacis, qui dum patriaeque, suisque
Vult medicas adhibere manus, grave vulnus inussit.
Emicuitque sacer Petri de sede cometes
Judicio super hoc fortunae crimine multo,
Conticuere par plusquam tria secula noxa.
Nemo fuit qui Ferruccio dare nomen arenae
Optaret tumuli, aut memorare insignia facta.
Denique et in patriae monumentum ponere terra
Qui cadit infelix, numen superante malorum.
Dormit hum obscurus plerumque et inanis honore
Felix a sompno, quis verum tamen tuetur
Parva metu, et paucis contenta moratur in umbra.
Rumor enim turbas agitare et fallere fictis

Historiis: bene qui vixit, meliusque cadendo
Pro patria tenuit, laudis nihil indiget atque
Thuris adulantùm, sibi nectit et ipse coronam.
Advenere dies, post longum tempus, amari
Aurea libertas queis rursus cepit in omni
Italia: tunc et Ferruccî nomen opertum
Pulvere, conspicuum exemplo, sanctumque videri
Rebus ab adversis potuit, virtute sepulta.
Hinc decus, et vocum praeconia didita linguis
Omnibus, auspiciis ad libera fata secundis.
Cetera praetereo, ne sit Florentia mater
Tacta pudore, suum civem latuisse tot annos
Quae tulit ignotum, donec foret iste coruscans
Scintilla ad flammam, quae libertate vigescit,
Externosque pati dominos monet esse nefastum,
Quorum erat Italiae, studiorum et laudis amore,
Antea se servos dare, jus et habere receptum.
  Francisci cineres Ferruccî pulvere eorum
Permixti jaceant, qui procubuere, nec enses
Deseruere manu, subeundo extrema perîclis.
Umbra ducis summi supereminet, et memor urbis
Sospitis arte mala procerum, indignatur honores
In praesens seros, quamvis pietate laboret
Excusare scelus non excusabile coram
Justitia. Sed ego Ferruccius alter odore
Germinis, hanc vitam sic produxisse per annos
Laetor, ut eruerem commenta, ambage retecta,
Fidus et historiae, mendacia vana movendo
Pulsa darem, liquida statuens in imagine verum.

JOACHIMI ROSSINII

APOTHEOSIS.

Pandite, saxa vias alpestria! Tendit ad urnam
Italia positam patria cum laude triumphi,
Musarumque choro, JOACHIMI corpus inane,
Qui novus Amphion, novus Orpheus omnia jussit,
Arte melos moderante lyram cum voce moveri.
Spiritus ad Superos abiit: post funus amici,
Sed desiderium pascens ego corde, quid audax
Eloquar in coetu metuente silentia rumpi? [1]
Annua per caelum quae Musica Signa ferantur,
Cantabo tibi, Rossini. Phaetonta sepultum
Eridano refluente fleant sine fine sorores
Heliades: consternatis ab Osiride caeso
Gentibus, incedat Nilotica funere pubes
Insignis pompae; Syriaeque immittat Adonis
Raptus adhuc vivos ferali carmine luctus:
Insanire licet lacrymis. Ab Apolline sumens
Virtutem, et numeros, ego te tua Signa docebo;
Qua sit adire via ostendens, et habere sedile
Dispositum stellis trepidantibus orbe corusco.
Nec sibi praesumat porrecta volumine Pistris,
Vel Siren plectro et cordis meditata soporem
Sensibus, obliquare viam tibi, sic ut ad altum
Sede locum nec pervenias, nec honore perenni

[1] Haec frustra! nam Joachimi Rossinii mortales exsuviae Lutetiae Parisiorum monumento conditae fidele desiderium Italiae patriae bono distinent ab exitu, diuque distinebunt.

Consistas, melica velut arte novissimus Heros.
Phyllirides CHIRON propriis prior emicat astris:
Musica res etenim dedit huic ab origine curas
Extenuare animi, sonitu et lenire dolores,
Ante etiam invectum medicinae nobilis usum,
Unde salutares effectus corpora ferrent,
Herbarumque potestates experta subirent
Utilibus succis, varia ratione premendi.
Adde quod a calamis mansuetum fecit Achillem
Semivir ille, docens quanti sit gratia cantu,
Componens levibus digitis flatumque sonumque.
Tunc trepidare fuit coram doctore severo
Arte Larissaeum tyronem, qui foret inde,
Hectore sublato, Trojae matura ruina.
Hinc qui se studiis agitant per musica regna
Nec Musis adimenda suis, nec legibus aequis,
Discere deberent, quos gratia diligit ipso
Principio, fortes evadere posse, viaeque
Ad summum reboare tuba fortasse canora.
A strepitu sed qui sumens exordia vocum
Contendit violare aures, sensumque pudoris,
Humanum quod inest arti simul abdicat, ut sit
Semper aberrando vagus, ignoretque per omnem
Vitam, queis numeris, quo gratia spiret amore.
DELPHINVM sed Musarum chorus integrat omnis.[1]
Musica nam recipit res quidquid ab arte placere
Debeat, humanis ut sit medicina perennis
Cordibus a sensu, quem voce, lyraque periti
Officio moveant alacri, pariterque modesto,

[1] DELPHINVS — musicum signum dicitur eo, quod in numero Musarum stellas habet. (v. Arati Phoenomena: *Fragmenta in Sicilia reperta.*— (Venetiis Ald Ro. 4. gr.)

Ne minuatur adhuc natura in pectore sano.
Philosophus, Vates idem est et Musicus [1] acres
Ad discîplinas adeo formatus eorum,
Ut sit, apud Grajos, simul omnia qui semel esse
Musicus optavit, studuitque tenere. Neocli
Quapropter proles magnis virtutibus olim
Emendata, licet summos aequârit honores
Fortuna rerum gestarum, est facta minoris,
Se nescire palam dum musica sponte fatetur.
Delphino ast AQVILA insurgit stellantibus alis;
Nec tantum rapto Ganymede exultat, et ardet,
Quam de Phoebea sibi gaudeat illa sagitta: [2]
Unguibus arreptam nam sustinet, et procul effert,
Ut pateat Lycio quantus sit Apolline sensus
Justitiae, qui non timuit Cyclopibus ipsis
Intentare necem, Patris atque incurrere fatum
Ægioci, cujus furiis Epidaurjus heros
Prostratus jacuit sponsorque, auctorque salutis.
Magna quidem occultat sub imagine pensile telum,
Quod qui corripuit, sub Apolline fiet alumnus,
Ultor et insignis (si mos discordet honesto)
Justitiae et Fidei. CYCNUS hanc astrifer ingens
Et capite, et cauda, simul atque nitore tuetur
Corporis; hoc etenim suscepit, clamque Tonantem
Detulit ad Nemesim, quae Ledae est nomine nota,
Exstitit unde ovum geminum, scelus atque duarum

[1] Apud Graecos antiquos tantae venerationis fuit, ut iidem Musici et Vates, et Sapientes judicarentur. Cujus scientiae cum se imperitum Themistocles confessus esset, indoctior habitus est. (v. Quintilian. I. c. 10.)

[2] AQVILA — quam sagittam tenet in pedibus, dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit, quia eo telo Æsculapius ejus filius a Jove esset interfectus.

Tyndaridûm, genitore Deo sub oloris amictu [1]
Musica cycnus amat, quin supra musica fertur
Quaecumque auditu suavissima, mortis in hora
Dum sibi adulatus (fama est) sua funera cantat.
Non aliam ob causam proponitur ille Poëtis,
Consulto ut careant praesenti laude, fidemque
Nomine semper alant, quod posteritate futurum est,
Si bene concludant opus, artis amore canendo,
Nec male tentando disrumpere pectus, et aures,
Ut sit habere lucrum ex opera, studiumque popelli.
Justitiae sed tota LYRA est addicta, novemque,
Inter Signa manens, stellis distinguitur aucta. [2]
Fabula narratur (tamen est accomoda vero)
Mercurium hancce cava resonam testudine nervis
Fecisse intentis reflui sub margine Nili:
Quam respondentem bene fert sibi Phoebus Apollo
Postea, Calliopeque suo mox impetrat Orpheo.
Ille propagata potuit testudinis aura
Saxa repercussa chordarum voce movere,
Threiciumque gelu dissolvere, flumina ripis
Et premere, errorum ambages oblita priores.
Sed duo non potuit, sub amore, odioque lyristes
Infelix! raptam Eurydicen servare receptam,
Bistonidumque iras in longum ducere matrum,
Aut placare semel Pangaea rupe dolentem.
Ille quidem in partes membris discerptus abivit
Horribiles visu, facinus crudele sepulcro

[1] Juppiter in cycnum transfiguratus compressit Nemesim, quae et Leda dicitur, ut refert Crates tragoediarum scriptor.

[2] LYRA — Regrediente Nilo ad suos meatus, inter cetera, relicta testudo est.... Mercurius Lyram fecit, quam postea Apollini datam dicunt; mox Orpheo, dein Musaeo (v. et Virg. Æneid. VI. v. 667.)

Condere nî Musae properàssent ossa legentes.
Ægaeo sat nota mari jacet insula Lesbos
Methymnaea mero, fama notissima posthac.
Nam caput, atque Lyra aeternum miserabilis Orphei
Appulit hîc: sed honore Lyra immortalis, ut aures
Vivorum implevit, Musaeo herede, beatos
Migrat ad Ælysios, sua demum ut sydera caelo
Inveniat, queis Justitiae sit norma per aevum;
Quandoquidem harmoniae justa sub lege tenentur
Cuncta creata. Caput diversa sorte sed usum
Errat adhuc terris sua per modulamina vivens,
Quin etiam vivos faciens (ubicumque magistros
Sit studiis humana sequi) servire pudori
Arte verecunda, nec nobilitare nefastis
Casibus indigna, et sensus dare corde peremptos,
Se quibus insinuant consortia dulcia vitae.
In te collatum totum hoc Caput esse fatebor,
Rossini Joachim! Tibi suffragantur et anni,
Arbiter ut fias cytharae, quam nulla vetustas
Occupet, exemploque juves rutilante per umbras.
Hîc etenim sunt a strepitu, tumidoque boatu,
Raucisonisque modis quae possint diruere artem,
Nî tua magna fides (fide propugnante decorum
Quod stat adhuc numeris, placet, et delectat honestis)
Sistat in adversum naturae subdita matri,
Et tueatur adhuc jura intercepta profanis:
Naturae dominatur enim qui servit eidem.
O utinam vivas, sis Nestor et alter! honore
Ingenii tecum tua tempora, resque trahentis
Exemplo, et monitis ad culmen laudis et artis,
Italiam veteres quo constituere magistri.
Inde viris fit gressus, ubi sedet arce Creator,

Qua Pulcrum et Rectum se Relligione coronant
Justitiae et Fidei, quas Orbis iniquus abhorret.
Quondam etiam tua te capiet, dignissime, stella,
Vel potius signum virtutis honoribus aptum.
Maxime pictorum cujusvis gentis, et orae
Orbe novo, aut veteri! cantuque sonoque fidelis
Interpres morum, facilis, festive, facete
Intra tecta domus, templo sacer, et gravis aula
Adsertor majestatis virtute modorum,
Libertatis item vindex, si fabula poscat,
Idem exlex si poscat amor; genialis ubique
Scena sit, et positis spectàclo rebus agatur,
Adstantûm studiis, et ovando saepe recepte
Quantum nusquam alius supra fuit, aut erit infra.
Ætheris in campis locus est, ubi maximus amnis
Eridanus gaudet sese distendere longe
Amplificum. Vacui sunt illic nominis ignes, [1]
Quos habitare aliquem meritis ardentibus aequum est.
Illic te statuo, siquando, suavis amice,
Invideant nobis ingentia fata. Pòètae
Parce tuo! si divinum te velle videre
Praevertit vivos inter te velle morari.
Corpore metimur spatium breve luminis, esse
Quantumvis longum videatur: spiritus astris
Lumine perpetuo inseritur, si liber agendo
Multiplicata dedit quaecumque talenta recepit.
Sic tua te regio insignem splendore reviset

[1] « Atque haec ipsa notat se nullam ferre figuram:
« Sunt etiam toto sparsi sine nomine mundi
« Inter signa ignes etiam, quibus et sua desit
« Forma. »
(Aratus in Eridano.)

Inter eos ignes matura fine locatum.
Cycnus namque Padi fueras qui valle creatus,
Aureus implebis caelum cognomine signo.
  Gallica terra tui prope pondus nominis, extra
Corporis exsuvias, contradicentibus impar
Esset adhuc sciolis Naturae dona locanti
Hîc, ubi magna Dei jubet, ostenditque voluntas.
Ipsa suis minor est monumentis nempe laborans
Templorum Ægyptus sub marmore, pyramidumque.
Quid majus vasta testantur mole ruinae,
Quam queat aetatum metiri deteriorum
Aut ratio, aut series frustra quid tale stupentûm
Humanas ultra vires, imitabile nunquam.
Declinant res nobilibus nam semper ab orsis,
Ingenia et rerum exemplo manifesta supersunt.
Tu fama implebas vivus latus Orbis utrumque,
Mortuus idem etiam tua sceptra tenebis in illo.
Ex errore suo nam suffragabitur aetas
Ipsa futura tibi, nova dum proponet; et esse
Visa gigas, fiet pygmaeus in arte modorum
Laetifica fidibus cum voce humana sonante. —

APPENDIX.

EPIPHORA ET LACRYMAE.

ECLOGA RURALIS.

MELCHIADES, CAUNISCA

rati sibi posse vicissim.
Esse satis, rabie perstans injuria rerum
Publica, dum nihil intactum sinit esse per urbes
Aris, atque focis, consulto ruris opaci
Optârunt umbras, et vitam sorte modesta.
Quottidie curis agitabant gnaviter horas
Quisque suis: Caunisca leves ad pegma sonorum
Implebat telas, radiis peragrantibus orsa
Lubricitate cita, tunsis et pectine filis.
Melchiades libris veterum, calamoque libellis
Exscriptis studium impendens, operaque laborem
Assiduum, pernox animo plerumque putabat:
— Crimina tanta palam tentando fulmina caeli,
Tot lacrymae domibus, tantae templisque ruinae
Quo genus humanum, morem, jus omne redactum
Nempe dabunt, ullo sine Relligionis honore
Divinae? — Historiis relegens exempla remotis,
Ipse aliquam spem corde bonam captabat, et altum
Saepe oculis caelum concussa mente petebat.
Interea radiis aequo subtemine telam
Metita, intentu finis, Caunisca suarum

Solabatur opus manuum, praesentis ubique
Luctus, atque spei longinquae interprete cantu.
Carmine Melchiades scripto, Caunisca canendo
Pensum quisque sibi positum sic urget, et explet.

M. Humano generi, officiente superstitione,
Christicolas inimicos prodidit ira Neronis,
Et dedit injustae falso sub crimine morti;
Ipse graves poenas super ense daturus adacto,
Cum sociis Christo infensis per tempus iniquum.
Regnat Christus! opes cecidere Neronis, et horum
Qui tenuere viam malesanae barbariei
Exiliis, crucibus, truculenta et caede piorum.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Ab Constantino Sylvester honore tiarae
Soracte adveniens, latebrisque nivalibus, idem
Incola Romanus censuram gessit amore,
Atque fide populi delatam primitus ipsi.
Inde patres numerant dominatus Pontificalis
Annos in res, atque viros, moderamen et aequum;
Quo supplantari nunquam fuit, aut erit ulli
Pontificum heredi, nisi moribus irreprehensi
Obtrectatores prius (invidiosa caterva!)
Petrum aequare fide valeant, et amore Joannem,
Nîl ad iter caeli ducis et censoris egentes.
Regnat Christus! oves a Petro habuere, luporum
Adversus genus omne, alacrem, fidumque magistrum,
Poneret ipsam animam grege qui pro sospite Christi.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Eutyches, et Arius, et impia turba procorum
Nestorî signis, Macedonî, sive Pelagî
Procedens horrenda minis, errore superba,

Optavere semel, atque iterum incestare sacratum
Ecclesiae[1] thalamum matris, spe semper inanî.
Nîl intentatum scelerato mentis acutae
Distulerunt ausu, divinis dogmata verbis
Conclusa ut sensu caderent meliore, fidesque
Optima deficeret linis discerpta licenter.
Nocte sed emicuit sanctum, atque immobile Verum
Semper ab ingesta; renovatis Orbe triumphis,
Tempore jam ex illo caeli qua parte sagittam
Demissam subîit bellator apostata Christi
Imperio praestans, posuitque in vulnere vitam.
Regnat Chistus! opes ceciderunt haereticorum
Nunc quoque latratu rabido infestare volentûm
Jura potestatis, majestatisque Latinae.

C. Ite leves radii, sub pectine fingere telam.

M. Gensericus, atrox, Totilas, simul atque Alaricus
Invexere Urbi, quam cladem distulit alter
Attilas istorum, quos olim ultore flagello
Ira Dei armatos demiserat, ore Leonis,
Et precibus Magni superatus ad ostia Romae.
Inde locum Petri spirante Gregorius almo
Pneumate Mâgnus habet, virtute et legibus aequis
Frena regens longe et late servire volentûm
Regibus a Christo, Christoque in regibus auctis
Jure throni, et gladii, sacrato et chrismate inunctis.
Invidit Satanas nempe huic per tempora paci,
Huic ovium septo; Photîque malignus amictu
Grajugenas Latio discordi errore diremit:
Nunc intestinis contristatam hostibus urbem,
Nunc dedit externis vexari: donec ab illo

[1] Hic et alibi, breviando syllabarum âlteram, tyrannide metrica.

Septimus in Cathedra stans ejus nominis heres,
Arma manu trepidare facit tractantis, eumque
Ante pedes videt ipse suos sine honore coronae,
Sic humilem ut fratris mox amplectatur amore.
Regnat Christus! agunt regnum adfectare potentes
Longe dissimile, aerumnis plerumque refertum,
Quas parit injustis provecta superbia rixis.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Effera barbaries Turcarum cladibus, atque
Servitio infamis, quibus ex oriente premebat
Christicolas miseros, Urbani aetate secundi,
Auspiciisque sacris, cepit virtute refringi
Belligera regum, ac populorum ex omnibus oris
Europae. Tamen ad mansuetos, principe Christo,
Cum res pertineant, et lege aliunde superbos,
Dicite, Christicolae, quidnam retulistis ab armis,
Conflictuque virûm tanto, quod more pudicos,
Haerentesque Cruci verbo exemploque Magistri
Vos faceret, Caelo veniam impetrantis ab alto
Hostibus ignaris admissi nempe nefasti?
Sed quod eques Templi tulit hinc cum milite multo
Tutelae addicto utilium regione plagarum,
Dira simultatûm ambitio, fastuque proterva,
Ex inimicitiis, et praedae caeca libido
Omne opus evertit Christi, quod forte ruendo
Tantum defecit, quantum profecit in hostem:
Ut Deus intersit varii vice regminis, atque
Armorum eventus; vigili qui denique Turca
Fert custodiri Sanctum per sêcla Sepulcrum.
Illud Christicolis discordibus esca fit expers
Captari, et fiet; donec Custos erit unus
Omnium, ovile gregis celebrabitur undique et unum.

Regnat Christus apud mansuetos! ex Aquilone,
Aut Austro metuens, ferme quod lenta sub illis
Virgulta exspectant, formidine percita nulla.
C. Ite leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Jam, Friderice procax, Svecorum invectus ab arvis
In res Romanas ruis; upilione, bubulcis
Tecum etiam adductis, sancti ut Custodis in Urbe
Ipsos esse loco evincas, trucibusque faventes
Consiliis habeas. Sed Alexander vice Petri
Tertius in solio, pro libertate sacrorum,
Urbium et Italiae, suscepit jungere foedus
Immortale, tuis quod cornibus indidit actam
Tot manibus procerum (facinus praegrande!) securim.
Ipse jaces, sed non omnis: tua pignora nam te
Nî pejora volent, fieri meliora profecto
Nolle palam est: ergo breviter tua rufa propago
Ferro victa cadit; ceu stirps excisa repente
Floris, ab excursu sulcis operantis aratri.
Regnat Christus! ovans Cathedrae super hoste Latinae
Heredes pulsante Petri terrore, dolisque;
Ejus opes et agens, nubes ut ventus opacas.
C. Ite leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Subruat Avenio Romam, ditescere sede
Pontificum exultans secum, vitiisque vetusta
Prodeat a Babylone recens superantibus omnem
Et captum, et linguam: triplici scindatur ovile
Agmine Christiadûm: nova morum pestis abundet
Sic, ut eant sensus peregrinos arte profana
Eruere ingenio e Chartis dictamine Sanctis.
Concilio indicto (si qua bene velle valere est)
Urbe procul posita Cenomanum in sede, Tridenti,
Consensu unanimes proceres quacumque sacrati

Efficient ullam diuturnis esse medelam
Vulneribus, veterem revocando discipulinam,
Emendaturi mores ratione severa,
Quomodocumque ferat rerum natura virûmque.
Regnas, Christe! parans medicinam e labe veneni
Multiplicis, certa, tempus post triste, salute;
Tantum fidat ei, sanari sedulus ut grex.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Altera sed scabies animos pervaserat, Orbe
Ex emisphoerî opposito quae cognitione
Fusa, novam faciem ex auro radiante coègit
Sumere res et opes hominum, levitate sequaci
Judicii, immotam pro relligione, focisque
Quae morum normam mutavit, fenore avaros
Efficiens, simul et crudeles invidiosis
Fratribus, humana facie, sed dente lupino.
Utile per gentes tunc supplantavit honestum,
Fas, jus, atque fidem: meritumque et nomen ab auro
Res habuere domi gestae post inde, forisque.
Naturam incessit feriente scientia cultro,
Nuda videre volens, ideoque carentia vita
Omnia, prospiciens sibi libertate superba,
Contristetur homo ut vana omnia nactus ad imum.
Regnat Christus! opes dare qui praecepit habendas
Pauperibus; meritum cunctis super astra parando,
Qui statuit fines doctrinae commodioris
Mandatis ab amore Dei, fratrumque duobus.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Utile tunc auro, tunc mente superbia perstans
Naturae crevere stupris, fratrumque ruinis.
Sumere philosophos sapientûm nomen inane
Absque timore Dei: rursus, rursusque perîclis

Incursare poli stellas, mare, viscera terrae;
Cuncta licere viris audacibus; unde rapinae
Divitiarum, aeque ac regnorum, jure perempto,
Ornavere novos, scelerique dedere coronam.
Post scelus hoc, scelerum quod fons, et origo minorum
Exultavit edax consorte licentia fastu: est,
Ipsam comminuit sese, pinguedine luxum
Praecoce sollicitans; ceu corpus hyrudinis aptum
Morsibus, admota chirurgi mollius arte:
Mollius, ac melius, si quando emuncta cruore
Membra valent nimio; citius sed morte parata,
Si venas validi quamplurima scandat hyrudo.
Quid nam verba sonant? amor hîc quî mutuus esse
nam poterit, lucris ubi mensa fit ampla domorum
Excidium praesens, dominorum, et denique regum?
Regnat Christus! apud gentes regnum omne fatiscit,
Cui caeleste opibus praestat quam taurus ovili,
Alnus graminibus, confusae mundus abysso.

C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.

M. Parte alia, calamo, et studiis plerumque sinistris
Damnosa novitate theologus unus, et alter
Deterere instituit Fidei mysteria caecae;
Auxiliis ut sit caelestibus aut minor, aut nîl
Conferat ad laudem meritorum, et praemia regni,
Futilis, arbitrii sine libertate, voluntas.
Tunc incesserunt telis lethalibus omnes,
Frenum indignantes, communiter utile foedus:
Oblitique viam justi, rectique merendo,
Tradere se fatis circumducentibus Orbem
Nîl dubitaverunt, animasque sui sibi plane
Securas in aperta pericula projecerunt.
Inde malum virus defluxit, et impia cura

Ejaculantûm oculos, mentemque furore sciendi
In secreta Dei, trepidantûm et dicere, brutis
Nîl praestare homines animalibus ordine rerum,
Pegma viri secum fingendo mobile filis.
Usibus exul Amor vitae civilis ad astra
Tunc reditu sese cum more, et lege recepit,
Omnia muta infra sine rore, et luce relinquens.
Sicut aquae livens pigra putredine stagnum,
Corde repercusso in se mêt spiraminis aura
Vitalis, plerosque homines a fratre cavere,
Et comite, et socio, ceperunt torva tuendo.
Regnat Christus! amor fratrum cui fronte serena
Maxima cura fuit, cum pace volentibus uti
Exemplo praestante Crucis, caeloque potiri.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Sic positum genus, a Christo desciscere caepit,
Optavitque palam bellum pro munere pacis,
Instituens fieri discorde ubicumque locorum,
Atque virûm ingeniis, Hobbes praeeunte magistro.
Praecipue morum censuram evellere, Petri
Amota Cathedra, et nihili sacra jura putando,
Jurati insidiis, vel vi voluere rebelles.
Consilii ambages longae, stirpisque dolosae
Longum iter in tenebris, quod Pontificalis honore
Intercepit apex sollers compescere cymbam
Tempestate gravi: post paullo sed violenta
Exhibuit rabies ejus civile ruinae
Spectàclum, vade sacrorum, et custode cohorte
Ex voto regum abstracta, tum regibus ipsis
Demessis gladio, votorum compote plebe.
Regnas Christe! malis ex hostibus esse salutem
Qui facis Ecclesiae praesens tutela maritae.

C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Isdem de causis îdem advenere tyranni,
Armorum insano strepitu, et furialibus orsis
Aggressi qui sacra Dei, coetumque piorum
Diruere, ad templi posuerunt cornua postes.
Conciliatores vitiorum hos pone secuti,
Pondus habere volunt juvenes, scamnumque virile,
Nempe relegando ad senium, cineremque camini
Maturos annis. Seniores stulta libido
Incessit sed enim, ut placeant gravitate carentes;
Jamque sui reduces nihil urgent sumere mentem
A vitiis, moerent sed ab ipsis pene relinqui.
Regnat Christus herus! cujus doctrina pudico
Imperio solidis consistere viribus aeque
Corporis, ac mentis facit omni aetate modestos.
C. Ite, leves radii, sub pectine fingere telam.
M. Viribus ipsa etiam domitis elementa quaterna
Tempore tam sero sunt intercedere visa,
Ac si defluerent dociles portare triumphum
Quadrijuges temere intrantùm penetralia mundi.
Sericeo conclusa globo volat aetheris *aura*
Subjunctum rapiens hominem, caveaque procacem
Quaerere doctrinas, per apertum velificando
Aëra forte sibi curis, animoque superne
Intrepido, ad terras sed nîl referente carina
E spatio immani, quod nos disterminat astris.
Centonum ingenio magnis stridoribus *ignis*
Imbellis stupet illaesos versarier intra
Ardoremque suum, rapidasque volumine flammas:
Ut quondam obstupuit, radiis per acumina ferri
Deduci ad terram innocue, Lemnique cavernis
Fulmineas iras, Franklino auctore, recondi.

Idem abit in lumen stagni de sordibus imi,
Eductus mediis noctem inlustrare tenebris,
Luce vel electri floccis pallentibus acta.
Solis at e disco confingens hospite cella
Rerum, hominumque typos, pictor fidissimus ipse
Cogitur esse haustu divinae lucis, et ictu.
Fert *mare* succrescens equitantis ab arte vaporis
Prorumpi, subigique rotis, trepidante sequela
Vi subjectarum ratis usque fugacis aquarum.
Confusis patietur idem se congeminari
Fluctibus, obversos montes ubi dissociata
Æquora lambebant, vel in iras acta subibant
Prolixas cautes, et procurrentia saxa.
Intervalla viae jam *tellus* nullibi sentit,
Vix satis ipsa sibi, qua serpit linea ferri
Conduplicata premi plaustrorum mole rotatim,
Et serie, fervens unda post pegma lebethis.
Nec mare, nec tellus usquam tardare virorum
Colloquia ulterius possint optata vicissim,
Rebus ab antigrapho rescriptis alterutrinque
Vi liquida electri, per amici fila metalli
Discurrentis. Homo quidnam nova terrigenûm stirps,
Non sibi despondet? sine pennis ales, et ipsa
Sospes aqua, serpens telluris ad intima tendens,
Transfodiens montes, et pontibus áèra fallens;
Denique perspicua vates virtute videndi
Eventura semel, linguae magnete loquelam
Sensibus attonitis divinitus instillante
Ad responsa, próùt vis urget, et aura rogantis.
Adde quod invento Caliphornia dives ab auro
Lethale illecebris, esca et praesente malorum,
Attulit Europae, diversis qua patet oris,

Tristis avaritiae concursu et fenoris, unde
Numinis in morem colitur sine more metallum.
Regnas, Christe Deus! qui multa, ac magna sub imo
Telluris gremio voluisti abscondere, et alte
Elongare hominum conspectu, desidiosi
Admiratores naturae ne nimis ipsi
Indulgere sibi tumefacto pectore vellent;
Atque ut musca bovi super indita dixit aranti
Æqualem vana se voce laboris in arvis,
Progenies, mala principiis, se pene Creantis
Numinis adfixam lateri jactaret adesse
Secretis, et naturae interiora tenere,
Par, consorsque Dei! pomi virtute negati.
C. Ite, leves radii, fit opus jam nobile tela.
M. His operum monstris, rerumque, gigantea proles
Portendi breviter fatique, Deique ruinam,
Totius et caeli, felicibus autumat orsis.
Jamque canit, vita sic liberiore potitum
Post genitos ire, amoto terrore futuri
Judicii, vel prodigiis gravitate sinistris
Ad parientis opus naturae abnorme redactis.
Dira procella! graves ictus! pejora parantes
Vulnera deceptis proclivi ad pessima sensu.
Attamen in melius recipi volet Orbis ab istis,
Siqua salus rerum, siquis redit urbibus ordo.
Turbine nunc vario, semperque superstite Sole,
Aëris in campis agitur res tetra videndo
Flatibus horrificis, tum grandine, fulminibusque
Ignita nimbos rima sulcantibus olim.
Sumit ab obscuris Sol conditionibus aethrae
Splendere sed melius: natura recentior exit,
Passim et detersa revirescit strenua bruma.

Regnat Christus! aquae fons, qui ciet agmine lymphas
Abditus; ipse suo venae de vulnere prolis
Altor avis, referens et ab urna vivere phoenix.
C. State, leves radii, cessat sine stamine tela.
M. Alter eat meliore manu depromere Verum
Pulvere submersum prudens aperire futuris
Quod Deus occultat vulgo, renuensque videri,
Justitiae nubem, decreto obtendit abyssum.
Nos positis radiis, damus hanc de pectine telam:
Exulem et optantes vitam ab natalibus arvis,
Maturamus ad externas fugere hinc procul oras
Instrumentorum molimine, et arte recenti.
Fumidus ex unda vapor urget, agente deorsum
Igne rotas, per iter ferrato tramite praeceps
Impositosque trahit carpentis mille sedentes
Nobiscum, Utilitas intus quos junxit in unum
Diversos curis, et avaros temporis omnes.

AD PIUM VIIII. PONT. MAX.

AB ANNO SACRI PRINCIPATUS EJUS XXX.

Pontificale gerens onus in virtute, fideque
Non intermissa sex ultra lustra per annos,
Quis, Pie None, sacrum nolit te dicere pignus
Munifici super astra Dei, super Orbe benigni?
Quisquis ab historiis pure, sancteque legendis
Tempora respiciat, de Relligione fuisse
Divina inveniet magnae exemplaria laudis,
Pace salutari mediis certamine bellis.
Tollere spem pacis nunc ordo petitus ab imo
Publicus aggreditur, nec abesse videtur ab ista
Propositi meta, si juxta vota malorum
Res caderent, Satanas vel posset scandere Olympum.
Sed sublapsa retro semper mens impia, cordi
Nunquam praeripiet sua jura, et pulsa recedet.
Arx pacis mos est emendaturus amore
Quidquid consiliis pravorum evertitur extra.
Intus homo caeleste fovens ab origine lumen,
Judicio tacito quid sit sine pace futurum
Arguit et domui, et dominis, et denique regnis.
Haec ratio deducta viis per operta sepultis
(Ulla fides ubi sit recti justique bonique)
In rebus trepidis ad te, Pie None, recursat,
Restituitque thronum Pacis, quaeritque sedentem;
Exulem et inveniens, coram se fingit, adorans
Ipso in conspectu renuentûm optare salutem.
Nîl moror obstantes: videant tamen unde profecti
Vel quo pertineant, vel quas sperare ruinas
Sit per inexhaustum mansuro fomite bellum,
Absque Dei Verbo revocante ad munera pacis.

Usque adeo caecos populos, regesque futuros
Non timeo, procul esse velint ne semper ab illa
Luce rubescenti, Dominique loquentis in Horeb
Voce data, humanae quae per praecepta sacravit
Doctrinam vitae officiis civilibus aequam.
Alter in Orbe fuit tunc Sol, divinitus aestu
Infuso, *sentire Deum*, bene vivere ut esset,
Et (quod bissenis tribubus contingeret) Uni
Incurvare Deo gentes, rerumque potiri.
Hinc regnum Judae urbe sua, sceptroque perenne,
Atque aeterna Sion, muris adamante locatis,
E quacumque plaga optanda, et pietate tenenda.
Urere in Italia Sol hîc fortasse videtur
Intolerabilius nihil est quibus ordine sancto;
Sed foecunda alibi loca fert virtute caloris
Aut esse, aut fieri verbo, exemploque docentûm.
Sed si tanta viros insania denique nostros
Invadat, proprium Italiae super Orbe quod esse
Cernitur, ut tendant ausu ablegare profano,
Dejicere atque Crucem augustae de culmine Romae,
Experientur, ope inversa, miserabile quam sit
Parere externis, et multiplicare catenas,
Mente superborum admissa sine cordis habenis.
Interea, praestante fide sub rêgmine Judae
Perpetuo, Pie None, tibi tribuentur honores
A Vice Divina in terris, cum dote loquelae,
Non infirmanda quae vi sit ubique recepta:
Pontificum ditione tui scribentur et anni
Unicum in exemplum, Petri post Principis aevum,
Jure potestatis vel ab ipso stercore Regis
Erecti, ut fax sit, moneatque cavere tyrannos
Proposito infestos Paci vel lege, vel armis.

PIUS VIII. PONTIFEX MAXIMUS

ADSERTOR DIVINAE LIBERTATIS.

Ego autem constitutus sum Rex a Deo super Sion montem sanctum Ejus, praedicans PRAECEPTUM *Ejus,* [1]

Psal. II.

Me Regem fecere DEI super Orbe redempto
  Spiritus, unanimis vox et ab ore Patrum.
« Rex Anius rex idem hominum *fuit* atque sacerdos » [2]
  Hoc memoro; humanum id namque fuisse, liquet.
Humanum dico, praecedens tempora CHRISTI:
  Sanctum ac divinum est nunc, praeeunte Petro.
Consortes reges Anium coluere priorem
  Officio, summum consiliisque ducem.
Absque auctore rei quid consiliantibus illis
  Nam foret? a Phoebo vis sacra rebus erat
Eventu certo fidei plerumque speique.
  Mente profanorum sic fuit orsa sequi.
Christicolis lux a caelo praefulget in Uno,
  Qui prope rex Anius est, Vice major adhuc.
Et dubitant Reges DOMINI praecepta loquentem
  Audire ex Cathedra me, subiguntque sibi?

[1] Qui dubitant (dubitare nefas est) de *infallibilitate* Cathedrae in Romano Pontifice, animum adhibeant huic, extra Vaticanum Concilium, periodo dialecticae, prorsus illaesa ejusdem auctoritate, et sanctitate. — **Romanus Pontifex est VOX PRAECEPTI DEI. Infallibile Praeceptum; ergo infallibilis et Vox: ideoque infallibilis Papa circa dogmata FIDEI, praecepta DEI, et Sanctae Matris ECCLESIAE.** —

[2] Virgil. Æneid. lib. III. v. 88.

Hoc est destruere in terris opus omne salutis
  Divinae, et tenebras rursus inire Chaos.
Non ego voce humilis, DEUS est qui judicat ipsos
  In Verbo verax, terribilisque suo.
Pacem aufert ab amore datam, sanctamque timore:
  Maximum id est poenae, quam luere est, et erit,
Donec ab excidiis hominum, rerum, atque locorum,
  Non mihi, sed discant sceptra subesse DEO.

AD CHR. FRID. WALTHER v. cl.

CAES. BIBLIOTHECAE PUB. PETROPOLI BIBLIOTHECARIUM.

« Tempora mutantur, nos et mutamur ab illis »
  In verbo verum stat vetus hoc veteri.
Invidia est hominum ac rerum: mutamur utrinque;
  Fatorum lenta sed vice forma venit.
Nobilis invidia est, quia promovet alta premendo,
  Et quae vult flatu perdere, clarificat.
Ordine ab inverso sic accidit, omnia ut infra
  Sint manifesta, fidem fallere jussa virûm.
Nos oculorum acie trepide, breviterque videmus,
  Quantumvis vates quilibet esse velit.
Altius est captu, quod volvitur intervallis
  Astrorum longis, unde futura fluunt.
Effectus spectare licet plerumque stupendos
  Eventu; causas arguere ut liceat,
Non licet amplecti, sapienter eisque potiri;
  Namque superborum tangit acumen humum.
Walther! amare focos praestat, quam velle venire
  In partem scelerum, seditionis ope.

Jus scelere invadi ut possit, mens usque reclamat,
  Conscia quae recti, damnat iniqua viis.
Admirabilibus quantumlibet induat Orbis
  Inventis faciem more, habituque novam,
Obliviscatur si tecta, fidemque domorum,
  Publica ut aedificet, se violenter agens,
Ipse suis foveam sine mente parare ruinis
  Dissitus humana conditione volet.
Advigilent reges, Dominoque Deoque juvante,
  Ne ratio domuum debilitata cadat.
Et Deus in domibus, quarum pater aedibus est rex.
  Regnum est magna domus, vultque salute frui.
Quapropter medicus fit qui supereminet, omnes
  Morborum facies noscere, destruere
Principiis obstans qui debeat, inque timore
  Fundare id semper quod sit amore recens.

AL BLASIUM LEONTIUM DE PIÑAR v. cl.

Scripta mea esse facis nimium, generose Leonti,
  Clara per Hispanum tu gravitate melos.
Non ego tum tanti; nec dat mihi Musa quod artis
  Carmine flebilibus sit medicina malis.
Quod gradibus SCALAE VITALIS forte paravi, [1]
  Esse potet ullum, mente capace, bonum.
Sed qui corde velint dociles, pureque sequaces
  Ire, satis mari sunt, ubicumque legar.

[1] SCALA DI VITA — Memoriale in terza rima del cav. L. C. Ferrucci — Firenze, dalla Tipografia Granducale 1852. 4° piccolo a spese dell' Autore.

Temporis in culpa est ratio, quae more perempto,
  Non patitur vitiis quod mora sit, vel obex.
Exegi proprium quod erat, me judice, vatis,
  Cetera securus nobilitate viae.
Aut etenim pessum fas, jus, decus omne dabuntur,
  Aut hinc posteritas quo resipiscat, erit.
DANTE minor, sed fine pari ferar ipse poëta
  Alter Virgilii prosiluisse schola.

— *aliud est grammatice, et aliud latine loqui.* —
(Quintilianus)

Esse Severillus mea carmina forte sonora
  Dicit, et hac una dote probanda minus.
Quid si forte sonus fiat fragor ille flagelli,
  Plectat grammaticos quod gravitate sua?
Scribere fabellas prosa serpente per udum
  Ille potest criticus, lambere et ima jugi.
Scandere Parnassum mediocribus usque negatur
  Semper et his vetitae sunt Heliconis aquae.

De Joanne Severillo Perosino hypotario.

Ire Perosinus calami vult felle perosus
  Cuncta humana stylo. Quis neget esse scrum?
Exit ab ejusdem sacer halitus ore loquenti,
  Ac si peste sua totus Avernus hiet.
Vitrea bilis eum perfricta fronte colorat
  Demissa ad tristes absque pudore gens.
Ordinis ipse sacri fieret quin transfuga, sumpto
  More novo et cultu, nil dubitavit iers.

Nunc latrat a stabulo canis hic, nec deserit illud;
  Namque timet justa bella gerenda vice.
Prodeat, optamus! mala lingua domatur adacto
  Fuste: vetus remedî est, atque salubre genus.

LEO ET MURES.

  Leo senectute delassatus, et jacens
Sensit duobus ungulam sub muribus
Morsu infestari titillante dentium.
Agebant hi certatim, ut vulnus illico
Et ulcus fieret ista titillatio.
Leo cogitavit, leviter attollens caput,
Urinae stimulis addere vim potentiae,
Ut *comes aeternus* murium, in fugam metus
Vertat *perosos* stirpis hos sortem suae. [1]
— Nolo, inclarescant inimicitiis improbi: —
Hoc dixit, et senile mutavit latus.

IN BELLIGERATIUM
CALUMNIATOREM TETERRIMUM NATURAE ET DEI.

  Solent abuti ingenio perditissimi
Virorum, Satanae plus debere quam Deo
Qui sibi persuadent, monstra ut sint superbiae:
Tu bello designatus a cognomine,
Moliris audax plurium gigantium
Opus quod esset, a labore sed irritum;
Scilicet obstruere cor, ne sentiat Deum,
Et se rebelle motibus det intimis

[1] *Conternus* quidam, et *Perosinus*, par nebulonum maledicum.

Afflatus Ejus in curriculo labilis
Vitae, quae morte terminetur pessima.
Donec laudatus ibis tu, tripudium
Erit in abysso, pro pube palam perfidis
Devexa studiis illuc, unde mentium
Furor revocari ad Superos aliquando vetat.

PUDOR ET ABSTINENTIA.

Cur expiatrix scelerum hîc abstinentia
Plerumque invisa sit nobis mortalibus,
Latet efficacis odio sub jejunii.
Ætate sed provectos admonet metus
Injectus mortis, qui perambulat dies
Annorum elapsos, poenitere et colligit
Ruinae morum, temere elusis legibus.
Quanti sit hominum in vita tunc patet pudor
Molestus olim vitiis praevalentibus,
Et quam sit servus qui non imperat sibi,
Datis habenis in pudore cuilibet
Munere Naturae matris ab innocentia.

SIDERA ET FLORES.

Juno coruscis sedibus imperium gerens,
Superbiendo conferebat se Jovi,
Æqualem, non subjectam fratri et conjugi
Contentione pugnans esse domestica.
Eam ut molliret, Jupiter ulla sidera
Collecta in nodum misit, quae per Iridem

Uxor teneret, majestatis munera.
— Nimis divina sunt: carent odoribus —
Aversa Juno dixit; et mutans latus
Irim de caelo jussit adire Thessalam
Tempe, inde florum, ferret ut olentûm genus.
— Delector istis (nîl dubitavit addere
Verbo) quia renovantur: non ita sidera. —
Discipuli, humanitatem in studiis omnibus
Diligite exemplo hoc: nam quod est mirabile
Urit inodorum, steriles ingenio et facit.

CONSORTIUM TYRANNIDIS.

Europae quid erit tribus induperantibus auctae,
Quorum quisque metu, jam nec amore regit,
Et se decretis abolentibus aequa probare
Justitiae auctorem vult, et habere fidem?
Nescio: sed timeo, ne Relligione tributis
Posthabita, foveant id, quod amare vetant,
Scilicet arbitrio Jus Pontificale sequestro,
Omnia ne pessum dentur, et usta cadant.
Urit enim rigida nimis a ratione quod exit,
A Cruce demessa fitque corona minor.
Prodit ab inteuto nimis arcu injuria regni;
Plebsque tyrannorum nomine pulsat heros.
Lex odio est; nec legiferos fugit ira, senatu
Consorte, erumpens hinc, ubi delituit.
Discite frena palam non detrectare, vocati
Vos ad opus legum, quos juvat esse truces!
Et (quod possit adhuc miserabile fine videri)
Culmen in Orbe Sacrum destruere Urbe sua.
Gallia subripiet quos ablegatis honores,

Romulidûmque iterum laus CATHEDRAE exul erit.
Nulla triumphalis palma est illustrior ista:
Stultitiae genus est velle carere data,
Sumere ad externis doctrinam et mente stupendam,
Cordis egens nostri quae minus aequa venit:
Nam sapere absque Deo docet ambitione sciendi,
Atque giganteum spe renovare nefas.

DE ROGERO BONGHIO
CAPITALIS INGENII VIRO.

Sulphurea ignivomis quid cogitet Ætna cavernis
Nemo scit: est subitus, labe sequace, furor.
Quid cinere et saxis det abundans ira Vesevi
Novimus in Bonghî triste ministerio.
Terruit ille prius rugitu, surdus ad omnes
Discentûm, muta seditione, preces.
Inde propagavit quod acumine mentis iniquae
Digestum titulis, exitiale foret.
Ingemuere scholae, dejectae et bibliothecae
Rogerî ad nutum sunt ab honore patrum.
Sed juste cecidit: sât enim fuit aequa ruina,
Debuit auctorem quae sepelire suum.

BIBLIOTHECAE MEDICEO-LAURENTIANAE
SUPPLICIUM.

Crimine doctrinae veteris devota securi
Fert capite imminui Bibliotheca suo.
Ne pete carnificis nomen, qui lege tuetur
Composito injusta se, feritate Draco.

Jura lucri adseruit, vi consiliique recepta
  Quod spectavit, habet, plectere ad interitum.
Lingua tamen vivit, quae voce sonora per annos
  Indignum facinus proroget, atque nefas,
Duret ut infamis potuit qui talia mente
  Concipere, admota perficere atque manu.
Inconsultus adest, fert carnificemque Senatus,
  Et super excidio plebs stupet, atque tacet.

PRO SEPULCRO

BIBLIOTHECAE MEDICEO-LAURENTIANAE.

Hîc matrona sita est: vixit tria secula princeps
  Bibliothecarum, sedis honore sacra,
Codicibus veterum scriptorum, et divite gaza
  Testando Medicae munera magna domus.
Dote sua caruit, cui centum haerebat ab annis,
  Librorum; studiis sic minus apta fuit;
Et demessa, sibi ancillas ad jussa paratas
  Debuit inversa sustinuisse vice:
Inde et, deleto Medicorum nomine, haberi
  Serva, repentini turbine consilii.
Bonghius [1] hocce scelus patravit in ore videntis
  Europae, extremis viribus usus opum.

[1] PULCHERRIMA AC COPIOSISSIMA TOTIUS ORBIS MEDICEA BIBLIOTHECA. (Petrus Victorius in Praef. ad Cic. Epist. ad Atticum. Florentiae a. 1571.)

R. Decr. 25 Nov. 1869. art. 34. « Per gli effetti dell'art. 4, ed a « ragione della sua eccezionale importanza la Biblioteca Laurenziana « di Firenze, non ostante il suo carattere di specialità, è parificata alle « Biblioteche di prima classe. » Art. 35. « Con successive disposizioni de-

Cuncta nova efficiens, concepto ardore Vesevi,
  Mole ruinarum miscuit omne vetus,
Ædificare nihil certus, nisi longa per aevum
  Opprobria, ingenio destituente fidem.

AD ROBINSON ELLIS v. cl.

COLLEGII TRINITATIS APUD OXONIENSES SOCIUM
KALENDIS JANUARII A. MDCCCLXXVII.

Octoginta annos attingo, aetate ferente
  In grege vivorum conscius ipse mei,
Conscius et fidei, qua me coluisse Latinas
  Usque fuit Musas, casta sonante lyra.
Hoc cavet ingenium, temere ne laedat ab arte
  Quod sanctum atque pium est relligione patrum.
In diversa ruunt plures, pulcrique colore
  Dant deformatum simplicitate bonum.
Quottus quisque malis obsistit laudibus horum,
  Qui, pudor ingeniis absit ut exul, amant?

« terminate d'accordo col Ministro dell'Interno, sarà provveduto alla « riunione della Biblioteca Riccardiana colla Biblioteca Laurenziana. » VITTORIO EMANUELE — Registrato alla Corte dei Conti a dì 3 Dicembre 1869. — Reg. 4. Atti del Governo a carte 77. — *Ayres.* — Visto il *Guardasigilli* — *Vigliani* — *A. Bargoni* — (Ministro della Istruzione Pubblica).

R. Decr. 20 Gennaio 1876. — Regolamento — Titolo I. Biblioteche Governative art. 8. « Sono amministrativamente riunite..... » La Biblioteca Laurenziana alla Nazionale di Firenze .....

Visto d'ordine di S. M. — Il Ministro per la Pubblica Istruzione
R. BONGHI.

Non ego cum pravis facio, quibus urere curae est
  Messe omne antiquum moribus ac studiis,
Ut nova sorte ferant incerta, saepe et iniqua,
  Plerumque admixtis seminibus lolii.
Est lolium historiis peccare docentibus, usu
  Nunc facile accepto, quin et habente fidem.
Quid querimur fatis quod sit res acta sinistris
  Publica? Privatim pestis ubique furit.
It Cicero Officiis despectus; Virgiliique
  Et Flacci nulla est laus ubicumque scholis.
Optime Robinson, bene consulis ipse Catullo
  Rursus codicibus de meliore nota, [1]
Consulis atque tibi scriptor laudatus abunde
  Exemplo: sed quis corde sequetur adhuc?
Mentibus attonitis opera hîc impenditur omnis:
  Dormitat sensus pectore factus iners.
Admiranda placent; nauci est imitabile quod sit.
  Sic sterile ingenium nobilitate caret,
Obtusumque redit, fumum pro luce daturum:
  Propterea breviter nulla pŏësis erit.
In cicere atque fabis Ciceronis honore sepulto,
  Virgilius, Flaccus, moxque Catullus erunt
Vocis apud vivos sonus irritus, aut leve murmur
  Hîc, ubi mens somno somnia captat humi.

---

[1] Catulli Veronensis liber. Recognovit etc. R. Ellis — Oxonii e typographeo Clarendoniano MDCCCLXVII. 4. p. — Commentary on Catullus by Robinson Ellis M. A. Felow of Trinity College Oxford. — Oxford at the Clarendon press MDCCCLXXVI. 8.vo

IN OBITU FRIDERICI RITSCHELII v. cl.

DE LATINIS LITTERIS APUD GERMANOS EGREGIE MERITI.

Te quia fata tua exstinguunt aetate virili
  Defleo, discipulis condoleoque tuis.
Nam gravitate potens, et acumine mentis habebas
  Rarum in amore bonum sedulitatis ope.
Judicio formare scholam superante tenorem
  Auctorum curis semper amabilibus,
Laus tua magna fuit: nec ego diffingere verum
  Invidia vellem proficiente nihil,
Officiente bonis studiis in honore Latino,
  Quorum cultor eras, fautor et ipse simul.
Doctrinam veterum tibi quisque medullitus haustam,
  Acceptamque refert, ut sit aperta libris.
Ingenio qui pollet habet qua progrediatur
  Luce facis, Ritschel collacrymande, tuae.

BACCHANALIA.

Cantibus, et choreis nox it vigilata theatro
  Condere se latebris: lux inimica redit.
Sole quid illustrat? Naufragia saepe pudoris,
  Indita spectàclis et mala stultitiae.
Nam vetus ingeniis mos est, exempla referre
  Argumentorum, quae placuere prius.
Nocte profecta, die scena instauratur, et ultro
  Urbibus ac domibus comicus exit homo.
Haec schola vivendi tot alumnos nutrit, et effert,
  Panem et Circenses, quot voluere dari.

I nunc, et remedî pete quod sit cura, salusque,
  Orbe theatrali, moribus ac studiis!
Publica qui tractant, vel in hoc captare videntur
  Somnia. Desipere est velle adhibere luem,
Subjicere atque oculis inhonesta, ut honesta sagaci
  Judicio redeant, exule cordis ope.
Nunquam etenim pesti superaddita pestis habebit
  Quod reparare queat, sed quod ad ima trahat.

FESTIS ANNALIBUS

AGATHAE SANCTAE V. ET M,

PRAESTITIS TUTELARIS

(nonis Februarii a. MDCCCLXXVII).

Laus Agathae, redeunte die, renovatur in annos,
  Et memores fastus auget honore suo.
Quid caeleste sonat Respublica Sancta Marini,
  Monte repercussa voce simulque fide
Libertatis. Agunt cives tibi, Virgo, referre
  Grates pro tanti munere prodigii.
Prodigium est hodie, condensis nubibus infra,
  Semper aperta jugo posse serena dari.
Sunt alibi, ordinibus positis qui stringere sperent
  Illud, quod vanum est garulitate, bonum.
Semper enim dictis nocet imprudentia, ne sint
  Facta salutari perficienda modo.
Libertate bonum quod habetis culmine, cives,
  Pinnarum vestro, pergite vos taciti

Corde fovere, frui cum sobrietate paratis
  Rebus in hoc Caeli proximiore loco. [1]
Suave videre mari (cantavit Musa Lucreti)
  Jactatos alios, sospite de specula.
Suave sit et vobis revirescere veris ad omnem
  Auroram, ex Agathae relligione pia,
Cuncta retractatis dum moribus, atque refixis
  Majorum, fiunt sicca, regente metu.

EXITUS NOVITATUM.

Altera jam Musis aetas infesta Latinis
Erumpit, studiisque animosa licenter aberrat.
Vanum est cantatis obsistere versibus undae
Exsultantûm ultro jactura moris aviti.
Inter Virgilium et Dantem quae, quanta vorago
Ingeniorum, Itala interius virtute sepulta!
Conseruere manus magnas, tutamine iniquo
Noctis adumbrantis, superaddita turba gigantûm,
Producta in longum sit ut exspectatio lucis.
Quaerite vos latebras, qui spe voluistis inani
Adfectare serena poli super arce secunda
Iliacae pietatis: habet feritate superba
Barbaries portenta sua, et sibi consulit ipsi,
Ne quibus incubuit, discedat postea terris.

[1] Subjungendum Statuae admirabilis jugoso compendio Libertatis: opus Stephani Galletii bononiensis.

CONSCIENTIA · RECTI
NOBILITATA · SOBRIETAS
CVM · SALVTE · REIPVBLICAE
ILLAESAM · PER · SECVLA
LIBERTATEM · TVETVR

Durum est avelli: sed vos portatis amorem
Artibus humanis pacem conjungere fidum
Civilem, mores antiquos cumque pudore.
Est pudor aura fremens, atque officiosa susurro,
Quae procul a Borea semper versatur, et addit
Veris opes ubi se spiramine casta propagat.
Fert alienigenas, plerumque sequace locorum
Fortuna atque hominum, se fingere velle modestos,
Naturamque rudem cupide exspoliare, vacando
Mitibus officiis. Fluit et refluit, maris par
Mos civilis apud littus statuentis arenas;
Atque unde excessit fraternae audacia rixae,
Pax subit irrepens, intercedente pudore.
Jam qui Virgilium, et Ciceronem expellere nostris
Decrevere scholis, desciscere et ordine alendis
Gnaviter ingeniis, ablegavere pudorem;
Qui disciplinae peregrinam inducere formam
Optantes, domina ratione dedere peremptum
Sensum omnem cordis, jus summa injuria ut esset,
Grammaticum redolente satis scriptore superque,
Ars et rhetorica esset inutilis, absque pòesi.
Consortes ergo exilii impetrate, sodales,
Sospitem ab hoste fugam, exemplaria vestra legentes,
Arbitrio detractorum ne forte profano
Depravata cadant, nox et premat atrá tenebris.
Per quascumque vias sit abire, ubicumque locorum
Ponere castra, sequetur inops clementia fastus,
Humani eloquii cum rore, Latina serendo.
Interea quibus auspiciis, quo fine cadant res
Absque pudore novae, dominata licentia frenis
Ostendet nullis, et discolor arte vetusta.
Suave erit a specula naufragia cernere eorum,

Qui colere externos voluere, et sumere ab illis
Consilia insani progressus, alite cymba
Impliciti scopulis rapiente vaporis ab ira.
  Sancta fides veterum cum Relligionis avorum
Doctrina et cultu, ne nos ne desere paucos,
Sed tutos numero! DEUS est qui judicat alto,
Cordis apud motus, stulta ratione rebelles.
Quandoquidem est nullis monitis resipiscere certum,
Perdere qui tendunt sese novitate sinistra,
Incolumes sit peste mori, bona pacis habendo
Dulcibus a studiis hîc, ut cum laude tenere
Vitam aliam contingat ubi substantia cultus
Civilis petere est caelum, officiisque mereri.

VALE SUPREMUM.

Vita fugit: durum est, sed inevitabile falce
  Supplicium: exercet mors sua jura: cado!
Ne sperate tamen me post mea fata tacendo
  Deficere: invenient ossa, cinisque sonum,
Non ut ego merear laudem dignatus honore
  (Compotem abire sât est nobilis officii),
Sed procul ut pateat, si vera videre recusant
  Vicini, quanta est Relligione salus.
Amplificare malo possunt rationis abusu
  Philosophi fastus impietate suos,
Et faciant: vulgus sapienter habebitur infra,
  Si pacem fidei servet, ametque Deum,
Haereat atque Cruci. Summum hoc et fine beatum est:
  Cetera diripiet Sors, et ad ima trahet,
Ludibrio afficiens quos a novitate profana
  Insanire fuit, stringere et inde nihil.

FINIS.

SUPPLEMENTUM.

Numerus Epistolarum in XVI. typotetham fefellit: quam jacturam respicientes nos, editione jam absoluta, eandem sarciendam putavimus hisce versibus ad modum Epistolae formatis; ne supereminens disciplina Crucis *(perfectio philosophiae* juxta sententiam Joannis Chrysostomi) exemplo Catholici Imperatoris recentissime confirmata testimonio careat poëticae facultatis.

XVI. AD PETRUM II. BRASILIAE IMPERATOREM

ITER CRUCIS.

Sancta sacrata Via in terris, a culmine Caeli
Inclinante Dei Verbo pietatis amorem,
Servorum omne genus tandem ut frueretur honore
Et patriae et regni cum libertate recepta,
Quam vellem peregrinus ego, trepidante senecta,
Metiri pedibus stadium sollemne salutis
Humanae, quacumque patet regione locorum
Orbis, et alterius vitae mortalibus addit
Spem, meritis Christi, felici sorte tenendam!
Pergit homo ad pacis viginti secula per Te,
Fidus ubi exemplo fuerit, sit, et esse futurus
Mente velit cum corde pari, Cruce fretus Iesu.
Electos numero paucos (utcumque vocatis
Omnibus) aucta fide probat interiore voluntas.
Siquis respiciat, poterit cognoscere scriptis
Gentium ab historiis quot, quantaque bella fuere,
Donec barbariem Crux interjecta subegit.

Constantinus atrox est visus habere coronam
Per caedes, superante tyrannide, solus ut esset
Imperio; fecere pium sed signa salutis
In Cruce, caelesti ostento divinitus illi
Proposita, ut fieret truculenta calumnia mendax
Tandem aliquando palam, post tempus triste Neronis,
Christicolas quae Judaeos capitalis agebat
Ad mortem. Lux emicuit! mutataque sors est
Usque adeo, infamem gestaret ut induperator
Heraclius honore Crucem, pondusque subiret
Ipse libens humeris, statuendo in vertice montis.
Hinc via regalis facta est vetus illa dolorum,[1]
A Christo patiente foret quae tessera palmae.
Crux, in relliquiis augusta, fideliter usos
Hinc juvit pietate suos, vimque addidit illis
Mox imitaturis, et sera aetate receptis
In spem caelestis regni, duce et auspice Christo.
Octoginta annos ego natus gaudeo, quod me
Produxisse fuit vitam hanc ut, PETRE, viderem
Induperatorem te per maria alta, viasque
Terrarum rapidas Iter hoc voluisse pedestrem
Conficere, Ægypti post perlustrata locorum
Intima, Catholicae memorem virtutis avitae.
Petre, sonante PETRI qui gaudes nomine in aevum
Immortale, redux ad sceptra thronumque coronae,
Quae libertatem cum relligione sacrata
Composuit, Crucis auspiciis et Tramitis ejus,
Imperium longos te sit producere in annos!

[1] Haec apud Hierosolymam in praesens audit — *Via dolorosa* — Christicolis omnium aetatum e qualibet Orbis plaga peregrinantibus reverentur obeunda, venerabili exemplo salutaris in Cruce VERBI DEI.

Pulvis ego breviter communi sorte futurus,
Gratia quod tua me susceptum ornâvit honore,
Ire celebratus fama Fautoris amici
A solio, nec obire omnis mea fata videbor.
Id sperare licet, sed non requiescere in aura
Nominis istius, quocumque favore feratur
Aut huc, aut illuc: infra sunt omnia vana.
Copia mercedis caelo est quaerenda, talentis
Morte resignatis Dominoque Deoque Parenti,
Multiplicanda dedit qui, non condenda sepulto
Munere, vel jactanda malo rationis abusu,
Ne genus humanum praestans animalibus exstet.